à Monsieur Fr. Lenormant
souvenir amical
G. Perrot

DE GALATIA

PROVINCIA ROMANA

Paris. — Typographie de A. Lainé et J. Havard, rue des Saints-Pères, 19.

DE GALATIA
PROVINCIA ROMANA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

G. PERROT

IN SCHOLA NORMALI OLIM DISCIPULUS

LUTETIAE PARISIORUM

APUD E. THORIN, EDITOREM

BOULEVARD SAINT-MICHEL, 58

M DCCC LXVII

ERUDITISSIMO VIRO

LEONI RENIER

INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITTERARUM ACADEMIAE
SOCIO ORDINARIO

HOC OPUSCULUM

IMPAR DEBITO MINERVAL DICABAT

DISCIPULUS.

INDEX CAPITUM.

DE

GALATIA PROVINCIA.

CAPUT I.

RERUM GALATICARUM, USQUE AD TEMPUS, QUO GALATIA IN PROVINCIÆ FORMAM REDACTA EST, EPITOME.

De causis, quæ circa finem quarti ante Christum sæculi partem Gallicæ juventutis ex suis inter Rhenum et Oceanum sedibus evocaverunt et in Orientis regna immiserunt, hic disserere supervacaneum est et ab nostro proposito alienum; nec magis enarrabimus quas illi vias secuti, quos montes, quæ flumina, quas gentes vincendo supergressi, Thraciam, Macedoniam, Græciam denique ipsam invaserint (1). Thraciam jam pervagati erant, circa

(1) De his omnibus, vide summa diligentia exaratum Germani hominis libellum, qui inscriptus est: *Die Wanderungen der Kelten, historisch-kritisch dargelegt,* von Leopold Contzen, in-8°, Leipzig, 1861.

Hæmi montis radices consederant, et obsidebant Byzantium, quum hinc Lutarius, illinc Leonorius, ille Hellespontum, hic Bosphorum trajecerunt, et Gallos, jam Asiaticam oram tenentes, rex Bithyniæ, Nicomedes, in mediterranea Asiæ excivit et deduxit, sibi opitulaturos contra Zipoitem, regni æmulum et petitorem, bellum gerenti (anno ante Christum 278). Ut ex Pausania (1), Justino (2), Livio (3), Appiano (4), Memnone (5), aliisque qui in horum mentionem inciderunt, comperimus, intra fines opulentæ illius regionis admissi, in Thraciam, quam multos jam annos vastaverant, remigrare abnuerunt; nunc Bithyniorum, nunc Pergamenorum aut Syriorum regum se socios jactantes, totam Asiam quæ cis Taurum est, expilaverunt, magnamque vim congesserunt captivorum, pecuniæ, omnis generis gazæ, quæ omnia coacervaverat intra tot urbium inclytarum et divitiis affluentium mœnia non unius sæculi labor et industria. Nihil erat, hac tempestate, quod Gallos non adjuvaret : finitima regna, Bithynia, Pontus,

Librum adde, qui nuper publici juris factus est, et quem laudare supervacaneum est, quum Academiæ judicio publice laudatus fuerit, qui inscribitur : *Histoire des Gaulois d'Orient,* par Félix Robiou, ouvrage couronné par l'Académie des inscriptions et belles-lettres. Paris, in-8°, 1866 (Impr. impériale).

(1) X, 23, 9.

(2) XXV, 2.

(3) XXXVIII, 16.

(4) *Syriaca,* ch. 65.

(5) *Fragm. hist. Græc.* (ed. Didot), t. III, p. 535.

Cappadocia, Pergamus, Syria, inter se semper discordantia, et bellis laborantia tum externis, tum civilibus, quum ferme nunquam, principe vita functo, legitimus et incruentus ordo inter fratres, filiosve aut affines servaretur; prisci mores et ritus, vetera instituta, urbium fœdera, populorum, qui prius Asiam habuerant et inter se diviserant, nomen et sermo proprius, omnia hæc desueta, abolita, et in Græcum ingenium, quod late extra ripas exundaverat, velut effusa et immersa. Gallis præterea vires et animos addebant nova quotannis popularium agmina facilis victoriæ fama et spe luculentæ prædæ in Asiam accita, et trans Hellespontum Bosphorumque, ut poterant, commeantia.

Qui *Brenni*, ut aiunt, hæc auxilia in infelicem Asiam adduxerint, nec quam multi milites transgressi sint, non liquet : hoc tantum scimus, paucis annis postquam in hac regione dominari cœperunt, Gallorum, qui in Asia erant, tres gentes numeratas fuisse. « Quum tres essent gentes, Tolistoboii, Trocmi, Tectosagi, in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diviserunt. Trocmis Hellesponti ora data, Tolistoboii Æolida atque Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt, et stipendium tota cis Taurum Asia exigebant (1). » Postquam ab ora maritima in mediter-

(1) Liv. XXXVIII, 16. Tres illæ gentes memorantur et apud Strabonem (XII, 5, § 6) et in titulis lapidibus inscriptis ut τὰ τρία ἔθνη. (*C. I. Gr.* 40, 39.)

ranea per Attalum et Eumenem reges compulsi, ipsis victoriis et hoc effreno per Asiæ campos, montes et urbes incursu ac recursu defatigati, novam sibi patriam quæsiverunt, ubi ex tot tantisque bellis interdum requiescerent et undique comportatam gazam in tuto locarent, ad Sangarii et Halys fluminum oras consederunt. Ibi tres illi populi qui paulo ante Asiam, velut sorte datam et communem prædam, inter se diviserant, contermines facti sunt, et regionem, quæ dehinc Galatiæ nomine vocitata est, partiti sunt Tolistobogi, Trocmi, Tectosages.

Tolistobogorum sedes circa superiorem Sangarium fuit, in illa quasi peninsula quam involvit et describit amnis in longum sinum circumflexus; Tectosagi intra Sangarium et Halym domos suas posuere, Trocmi ultra Halym, in Occidentali veteris Cappadociæ parte. Ut ait Plinius (1) : «oppida, Tectosagum, Ancyra; Trocmorum, Tavium; Tolistobogorum, Pessinus » (2). Castella præterea nonnulla, quorum nomen vix aut ne vix quidem ad nos pervenit, aut erexerunt aut muniverunt duces, in quibus Asiæ spolia reponerent et inter clientium et militum turbam, patrio more, conviviis et luxuriæ indulgentes, securi viverent, aut, si bellum ingrueret, se clauderent cum præsidio, locorum

(1) *H. N.* v. 42.
(2) Cf. Strabon, XII, 5.

opportunitate et murorum objicibus confisi. Ex hac regione priscos incolas non detruserant, eos autem ad colonorum, fruges soli cum novis dominis dividentium, conditionem redegerant; ita factum est ut horum paulatim nomen obsolesceret, et consuescerent homines *Galatiam* dicere totum hoc mediterraneæ Asiæ tractum in quo Galli dominabantur, ubi regum partes sustinebant Gallorum duces. Ad Phrygiam antea pertinebat pars hujus tractus quæ inter Halym et Sangarium jacebat, ad Cappadociam et Pontum pars ea altera quæ in Halys sinistra ripa vergebat ad Orientem. Ut ait Plinius, « Galatia, superposita, agros majori ex parte Phrygiæ tenet (1). » Qui hæc loca antea sibi habebant, reges Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, Syriæ, cum Gallis, ut videtur, non ægre fœdera pepigere per quæ genti victrici libera cederet possessio regionis illius quam vi præoccupaverat et sibi velut seposuerat (2); quo magis fera et inquieta ingenia priscum vagandi et per vicinos populos exspatiandi morem dediscerent, quo magis domos servare et focos amare assuescerent, eo meliorem spem habere poterant contermini reges et

(1) *H. N.* v. 42. Non aliter Memno: « Πολλὴν ἐπελθόντες χώραν αὖθις ἀνεχώρησαν καὶ τῆς αἱρεθείσης αὐτοῖς ἀπετέμνοντο τὴν νῦν Γαλατίαν καλουμένην. » *Fragm. histor. Græc.* (ed. Didot), t. III, p. 536. Ad eumdem locum Memno, prorsus, ut ex aliis locis patet, ἀγεώγραφος scriptor, urbes, quæ ad singulos populos Gallicos pertinebant, inter se commiscet, et e tribus ne unam quidem veris dominis adjudicat.

(2) Strabo, XII, 5.

populi diem aliquando venturam quando infelix Asia post tot ærumnas et tot incendia tandem quiesceret.

Non tamen poterat molliri, nisi in dies et diuturnitate temporis, ingenita horum hominum animis ferocia, et cohiberi hac inveterata liberius evagandi et quidlibet audendi licentia. Nullum hac tempestate gestum est in toto Oriente bellum, in quo desideraretur Gallici equitatus mercenaria opera. Pretio conducti, spe prædæ allecti, se Lagidarum, se Seleucidarum armis immiscuere, et in Bithynia, quum inter se dissiderent regiæ domus principes, non semel regnum transferendum susceperunt et transtulerunt. Discordiis civilibus et externis bellis magis vexata erat et debilitata Syria, quam ut valeret excurrentium Gallorum impetum refrenare. Provinciam ergo illam utilem, imo necessariam, sibi asseruerunt qui fama et hominum existimatione longe inferiores erant, qui vero rem ipsam sine præjudicio existimantibus multo præstare videbuntur Seleucidis, Pergameni reges. Ineunte tertio ante Christum sæculo urbem Pergamum Philetærus occupaverat, dum scinderetur in partes et velut in frusta concideret Alexandri imperium. Principum ingenio, virtute, solertia, concordia fratrum in hac una domo se mutuis odiis non persequentium, cito crevit res Pergamena; alter Philetæri heres, qui Eumenem exceperat, Attalus I,

totum occidentalem Asiæ tractum, totam eam regionem quæ jacet inter Sangarium et Ægæum mare, ditionis suæ fecit, dum multo latius, nempe ad Taurum usque montem, extenderetur ejus auctoritas, seque ejus patrocinio commendarent reges, populi, urbes liberæ. Nihil autem magis ad ejus laudem contulit eique primas in Asia partes detulit quam quod Gallos fudit fugavitque, et omnem illis aditum præclusit ad oram maritimam, ad hæc freta quæ quotannis tranabant Gallicæ turmæ, jactatæ et promissæ prædæ inhiantes et in exuviarum communionem adsciri volentes (1). Hac victoria (229 a. Ch.) ita elatus fuit Attalus ut regium diadema, quo ad hunc diem Pergami rectores abstinuerant, subito circumdederit capiti, et regium nomen sibi vindicaverit. Quasi animos Asianis populis et regibus felix ille Gallici belli eventus addidisset, Gallicum agmen quod circa Hellespontum commorabatur, paulo post Attali victoriam, Prusias I cecidit, et ita factum est ut Bithyniæ reges, qui primi Asiam Gallis velut aperuerant, et ipsi ad Gallos compescendos et intra fines arctiores concludendos aliquid conferrent (2).

Altius sese efferentem regum Pergamenorum fortunam Syriæ reges ægre tulerunt; Gallorum, qui illatas sibi clades ulcisci ardebant, auxilio fretus,

(1) Liv. XXVIII, 17. Polyb. XVIII, 24. Pausan. I, 8, 1.
(2) Polyb. V, 21.

totas imperii sui vires in Attalum convertit Antiochus ille qui *Magni* nomen, parvo apud æquales emptum, posteris non comprobaturus erat. Fautores et patronos, qui eum ab ingruente Syria defenderent, dum sibi circumspicit Attalus, incidit in Romanos, qui et ipsi eodem tempore adversus Macedoniam et Syriam, aperte Carthagini faventes, socios sibi in Oriente quærebant. Qui sibi ab eadem parte metuebant, eos brevi firma et mansura amicitia conjunxit; fœdus ab Attalo inchoatum Eumene regnante arctius in dies evasit magnaque ex eo effloruit et senatui Romano et Pergami rectoribus utilitas.

Belli contra Antiochum suscipiendi præcipuus auctor fuit Eumenes, nec majorem quisquam fructum percepit ex pugna, quæ paucis horis Antiochi potestatem et opes attrivit. Syrorum exercitibus ultra Taurum rejectis, Galli supererant, Pergamenis regibus et Græcis urbibus infensi. Quum pugnasset ad Magnesiam, in Antiochi exercitu, Gallorum equitum turma (1), et consul ille, qui legiones post Scipionem exceperat, Cn. Manlius Vulso, belli et triumphi materiam sibi conquireret, Attalus, regis Eumenis frater, Manlium impulit ut sine senatus populique auctoritate injussum et improvisum bellum in Gallos susciperet. Incepto favebat tota Asia, in qua urbs non erat quæ a Gallis indig-

(1) Liv. XXXVII, 8, 18. Appian. *Syriaca,* 22, 24.

num aliquid aut non perpessa esset, aut certe non timuisset.

Ab hujus dissertatiunculæ proposito alienum foret consulem sequi inflexo et sinuoso itinere usque in hanc velut Asiæ arcem, quam Galli occupaverant, ascendentem. In hac narratione, quam Livius videtur a Polybio ferme ad verbum vertisse (1), multa insunt quæ, codicum vitio, manum emendatoris etiam nunc desiderent, multa etiam in his nominibus castellorum, urbium, montium et fluminum quæ, aliunde ignota, nos potius in dubitationem adducant, et annalium scriptori fucum faciant, quam aliquid addant nostræ doctrinæ, et pleniorem notitiam nobis suppeditent hujus regionis, qualis erat tunc temporis. Paulatim tamen, dum eruditi et ingeniosi homines, sicut Mordtmann (2), Waddington (3), Robiou (4), aliique, quos nominare singulos longum est, locorum appellationes inter se et cum titulis et nummis conferunt, ea, quæ nobis e Polybio Livius tradidit, jam melius connectimus, et e quibusdam nominibus, quæ vix unquam sanari posse sperabamus, novarum rerum notitiam jam

(1) Vide quæ nobis servata sunt fragmenta e libro XXII Polybii, et Livium, XXXVIII, 12-28.

(2) *Sitzungsberichte der königl. bayer. Academie der Wissenschaften*, 7 *Juli* 1860 : *Gordium, Pessinus, Sivri-Hissar.*

(3) *Mélanges de numismatique et de philologie*, in-8°, Paris, 1861. Vide, ad paginam 107, dissertatiunculam quæ inscripta est : *Sur la campagne de Manlius contre les Gallo-Grecs — Position de Themisonium — Correction d'un passage de Tite-Live.*

(4) *Histoire des Gaulois d'Orient*, ch. XII.

eruimus. Sed de his disserere hoc loco supervacaneum : unum tamen eos monitos volumus quicunque in hujus regionis antiquæ conditionem inquirunt, ex Titi Livii narratione liquere totius hujus mediterranei Asiæ tractus statum ferme eumdem fuisse hac tempestate atque nunc est. Rem ita se habere alio in libro demonstravimus (1). Nunc obiter tantum memorabimus. Postquam ultra Pessinuntem et Gordium consul progressus est, et Phrygia excessit, Galatiæ finibus superatis, jam non habemus concatenatam et concinnatam geographicorum nominum seriem, qualis sese legenti offerebat dum Manlius Lydiam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiam peragraret. De summa belli in Galatia dimicatur ; ibi cum hoste, quem sibi elegerat et longinquo itinere petierat, manus iterum atque iterum conserit Manlius ; Livius tamen, dum res gestas in Galatia Polybio auctore narrat, jam vicos, castella, amnes prorsus omittit, nec mentionem facit nisi duorum montium, Olympi et Magabæ, et urbis unius, Ancyræ. Hinc jure conjicias in toto hoc tractu, quem Galli insederant, rarissimas fuisse urbes, raros quoque vicos certum in modum habitatos ; pars minima soli arabatur et frugibus consita erat ; frumenti, quod victui necessarium erat, bona pars a conterminis

(1) Vide opus quod nondum absolutum tertio abhinc anno in lucem edere cœpimus, et quod inscriptum est : *Exploration archéologique de la Galatie, de la Bithynie*, etc., par MM. Perrot, Guillaume et Delbet, p. 179.

regibus et gentibus, tributi more, pendebatur. Gallorum ducum latifundia pascuis pecudum potius quam aratorum industriæ destinata erant; qui inter populares genere, fama, opibus præstabant, Gallorum reguli et optimates, innumera boum, ovium, equorum armenta possidebant, quæ indigenæ pastores, æstatis calore deflagrante, inter herbosos Olympi saltus, hieme autem in tepidos Phrygiæ septentrionalis et Lycaoniæ campos deducerent (1). Hunc in modum hodie etiam hæc loca habitantur, et regio, quæ inter Ancyram et Iconium patet et nunc *Haïmaneh* dicitur, a Karducorum posteris, quos nostri homines *Kurdos* vocant, ut olim a Gallis, occupata et possessa, agricolas habet quam paucissimos, sed bubulcis et opilionibus fere tota tradita est, et equos alit qui inde in omnes Turcici imperii provincias distribuuntur (2). Nulla autem vita, magis quam pastoralis, homines alios ab aliis segregat, et diutius impedit quin homines in civitatis formam coalescant et urbanis artibus sese exerceant. Pastores illi, veterum Phrygiorum et Cappadocum nepotes, aut inter bellandum ex diversis Asiæ partibus abrepti, æstivis mensibus, inter virides et herbosos Olympi saltus, in mapalibus e truncis arborum et sicca fronde compactis, quum hiems desæviret, in

(1) Vide quæ Strabo (XII, 6) de immensis Amyntæ, ultimi regis Galatiæ, armentis narrat.

(2) Vide G. Perrot, *les Kurdes de l'Haïmaneh* (*Revue des deux mondes*, t. LV, p. 607, 1865).

planitie, tuguriis e luto et cespite conformatis, vel cubilibus in terram defossis, vivebant separati a dominis, sedes creberrime mutabant, et, ne gramina pecudum denti deessent, non poterant plures in una convalle, in una campi parte congregari. Galli contra optimates, quum non abessent bellico excursu avocati procul a domo, in castellis, qualia tot paucis ante annis in Græcia, sub nomine πυργῶν, invenire erat, clientibus stipati commorabantur, et ibi barbaricæ luxuriæ indulgebant, compotationibus et comessationibus, inter Asiaticæ opulentiæ monumenta et spolia undique comportata, diem et noctem terentes. Prius in hanc regionem invaserant Galli et sui juris fecerant, quam Græci mores, quam illa civilis vitæ humanitas, quæ post Alexandri victorias, sub Macedonum patrocinio, se in Pontum, Paphlagoniam, Bithyniam insinuaverunt et incæduas silvas urbibus rapide crescentibus consiverunt, in interiorem hunc et remotum mediterraneæ Asiæ tractum pervenissent. De Tavio, quod postea Trocmorum metropolis fuit, ne hiscit quidem Livius, et priscæ urbis rudera, et fragmenta hæc ædium publicarum, quæ jacentia invenimus ad vicum cui hodie nomen *Nefez-keui*, omnia non remotam ætatem arguunt, nec antiquiora sunt secundo post Christum sæculo. Galatia, quum Manlius in eam invasit, non videtur alias urbes habuisse quam Pessinuntem et Ancyram ; quantum autem judicari po-

test ex his quæ de Pessinunte et Matris Magnæ sacerdotibus per Livium et per titulos lapidibus inscriptos comperimus, urbes illæ in Galatia erant, non erant urbes Gallicæ; Phrygiam indolem, Phrygios mores, jam Græco colore temperatos, servabant, dum Gallorum reguli cum clientelis vitam rure agitarent. Ita factum est ut, postquam Galatiam intravisset Romanus exercitus, progrederetur per terram fere desertam, et illis, qui ad hunc diem cursum exercitus rexerant, ducibus Pergamenis et Græcis e maritima ora, fere ignotam. Gallorum optimates castella sua deseruerant; equos, armenta, pastores, totam, ut uno verbo complectar, familiam secum in montes egerant; quæcunque Romanis in campo tuguria et mapalia occurrebant, vacua erant, sine voce, sine nomine, sine memoria patrum. Nusquam incidebant legiones in mœnibus cinctas urbes et incolis, qui non fugissent, frequentatas, in loca non ignobilia et cum aliquo vetustatis indicio connexa. Hinc illud evenit, quod mirum sane videri possit, in illa Gallici belli narratione Galatiæ chorographiam ita paucis nominibus illustratam esse, ut quum bis legitima acie Galli cum Romanis manum conseruerint, locos, ubi istæ pugnæ habitæ sint, nemo ne conjectura quidem assequi possit (1).

(1) Liv. XXXVIII, 20, 26.

Ut in Gallia, ita in Asia quoque, Galli vires suas omnes contra invadentem hostem convocare et in unum corpus tempestive redigere nesciverunt; Manlius Trocmos et Tolistobogos ad Olympi montis radices, Tectosages inter Ancyram et Halym, in monte Magaba, vicit et profligavit, ita ut illi se in ejus manus quasi sine conditione dederent (1). Ibi, ut in Italia et in Gallia, effusum et ferocem Gallicæ fortitudinis impetum retudit et fregit bellica legionum disciplina et scientia rei militaris.

In hac pactione quæ, paucis mensibus post bellum profligatum, inter consulem et Gallos rata est, Galli lenissimas a Manlio conditiones impetraverunt. Nec partem regni amiserunt, nec libertatem; ne tributum quidem pependerunt (2). Nihil aliud quam juraverunt se in societate populi Romani mansuros, nec amplius in Græcas urbes et finitima regna incursuros. Nondum volebant Romani partem Asiæ sibi habere, et onus suscipere Græcæ levitatis regendæ totiusque Orientis gubernandi auctoritate Senatus; nec magis in animo habebant omnia victoriæ præmia Eumeni gratificari, quum, ejus virtute et industria plane perspecta, timere inciperent ne nimium potens evaderet. Hac igitur mente Romani, dum tota Asia se ab illis servatam et liberatam prædicaret, caverunt ne Gallorum vi-

(1) Liv. XXXVIII, 19, 24, 26, 27.
(2) Liv. XXXVIII, 40.

res omnino frangerent; Romanis expediebat, ut rebatur Senatus, superesse in Asia gentem bello assuetam, inquietam et indomitam, quæ, si quando Eumenis potentia sese altius efferret, facile in eum, memoria veterum injuriarum, converteretur, et interim, si non Pergamenos reges adduceret in angustias, at certe eos vexaret fatigaretque, et ita crebro admoneret, ne unquam a Roma desciscere meditarentur. Rem ita se habere brevi extra omnem dubitationem positum fuit; quum enim, viginti circiter annis post victoriam Manlii et ictum fœdus, Galli, jurisjurandi immemores, regionem Eumeni parentem ferro iterum ignique vastavissent, pecudes et captivos abduxissent, Senatus, quanquam Eumenes supplex rogaret, intervenire bello recusavit, nec prius intercessit quam Eumenes, sibi et regno consulere coactus, Gallos, post multa et cruenta prælia, regni finibus expulisset, jamque esset in eo ut tota Galatia facile potiturus videretur (1). Tum legati utrinque Romam missi sunt, et Senatus, tanquam non Eumenes de summa regni periclitatus esset, irritas ejus victorias esse jussit, pacemque restitui iis conditionibus quæ antea a Manlio sancitæ fuerant (2).

Licet autem Roma Gallos in Pergamenorum regum ditionem cessuros servaverit et libertatis Gal-

(1) Liv. XLV, 19, 20, 34; Polyb. XXX, 3; Diod. XXXI, fr. 14.
(2) Polyb. XXI, 2.

licæ nomen usque ad Augusti Cæsaris tempus duraverit, Manlianus gladius Gallicæ potestatis nervos ceciderat, et omnium animos opinio incesserat, vinci eos et profligari posse. Ex bellis nempe, quæ contra Romam et Pergamum gesserant, manifestum fuerat non esse e Gallicæ gentis ingenio ut in unum coalesceret occurrentique hosti unitis viribus obviam iret. Habebant tamen isti Asiatici Galli, si Straboni adhibenda fides, instituta quædam ad formam bene compositæ civitatis propius accedentia. « Quum autem, » inquit, « sint tres gentes eadem utentes lingua, et ceteris quoque in rebus nihil differentes, quamvis earum in quatuor diviserunt partes, quas singulas tetrarchiam nominaverunt, quarumque suum quæque haberet tetrarcham, et judicem unum, unum exercitus præfectum, tetrarchæ subditos, ac duos præfecti militaris vicarios. Duodecim tetrarcharum concilium viri erant trecenti. Ii conveniebant in locum, cui nomen Drynemeto; ipsi de cæde judicabant; de reliquis tetrarchæ et judices. Quondam ergo ita erat constituta Galatia. » XII, 5, 1.

Alias declaravimus parum verisimile nobis videri res unquam fuisse in Galatia ad immotam normam tam bene accommodatas, et ita tanquam paribus examinata ponderibus (1). Gentis hujusce annales

(1) *Exploration archéologique de la Galatie*, p. 181 et seqq.

nemo veterum scriptos reliquit, aut certe nulla talis historia ad nos pervenit; sed ex iis, quæ obiter nobis de Gallorum, qui Asiam insederunt, vita, moribus et rebus gestis memorant, liquet, ut pluribus indiciis demonstravimus, Galatiam, donec sub Romanorum præsidum tutela conquiesceret, intestinis discordiis et externis bellis fere semper laborasse, nec fines certos quibus terminaretur, nec justam magistratuum seriem, justum et legitimum parendi et imperandi ordinem unquam constitutum fuisse, parum auctoritatis habuisse, si qui revera creati fuerint, judices et senatum, sed militum et optimatum quemque tantum audere solitum, quantum, clientium multitudine et armorum fama defensus, impune auderet, juris denique mensuram, ne longi simus, vim fuisse. Credere non abnuerimus (non absimilia enim memoriæ prodita sunt de Transalpinis et Cisalpinis Europæ Gallis et de tota, ubicunque terrarum moraretur, gente Gallorum), aliquando convocata fuisse, quum periculum commune immineret, commune trium populorum concilium, optimatesque et duces in locum, religione consecratum et proceris quercubus consitum (1), convenisse interdum; potuit etiam fieri ut regulo cuidam, qualis fuit iste Ortiagon quem Polybius inducit to-

(1) *Deru-Neimheidh* ou *Dryu-Neimheidh*, id est *quercus templum*. De illo verbo *neimheidh* et iis quæ ex ipso derivata sunt vide Henri Martin, *Histoire de France*, 4e édit., t. 1er, p. 50, note 3.

tius nationis imperium affectantem (1), ut prudentioribus nonnullis et sapientibus viris in mentem veniret Gallicam gentem ita in partes inter se societatis fœdere connexas et arcte cohærentes digerere et constituere, ut digestam et constitutam fuisse perhibet Strabo; sed res, ut nobis quidem videtur, nunquam ad effectum perducta est, et ea civitatis forma nobis a Strabone tradita est, non quæ fuit, sed quam fuisse voluissent tres Gallicæ nationis populi (2).

Quercetum illud, cujus meminit Strabo, et in quod conveniebat commune totius gentis concilium, apud Tectosages fuisse verisimile est. Hi enim inter extremos Tolistobogos et Trocmos mediam quasi

(1) Polyb. XXII, 20, 9.

(2) Quum regulos Gallorum *tetrarchas* cognominatos fuisse audiret Strabo, videtur illo *tetrarchiæ* nomine deceptus fuisse et sibi finxisse nullos fuisse tetrarchas nisi ubi regnum in quatuor partes revera divisum esset. Videntur autem hæc verba, *tetrarcha, tetrarchia*, pristinam et etymologicam vim cito amisisse, et in usum venisse tetrarcham dicere principem aut præsidem qui non toti regno, non toti regioni præesset, sed qui partem hujus regni, hujus regionis, inter plures divisæ, sibi haberet et regeret. Nisi fallimur, in Thessalia primum, quæ, Philippi tempore, in quatuor regiones a rege Macedonum divisa, quatuor præfectos ab illo accepit (Harpocratio s. v. Τετραρχία), nomen hoc usitari cœptum est (Cf. Demosth. *in Philip.* III, 26). Inde paulatim in totum hunc orbis terrarum tractum, qui in Macedonum ditionem venerat, vulgatum est, ita ut illo uterentur quo innumeros regulos, qui tum in Europa et Asia pullulaverunt, designarent. Tetrarchas autem dictos fuisse, non qui quartæ, sed qui alicui qualicunque regni portiunculæ præpositus esset, tibi pluribus exemplis manifestum fiet, si tantum attente legeris quæ in Didotiano *Thesauro* sub hoc verbo afferuntur et annotantur. — Quum Manlius in Gallos profectus est, erat, si Livio Polybium secuto credimus, suus cuique trium populorum regulus (XXXVIII, 19), quod cum duodecim Strabonis tetrarchis non congruit.

Galatiam incolebant, et, ut ex multis indiciis patet, hujus generis conventibus Galli locum semper deligebant qui inter omnes nationis pagos aut medius esset, aut certe censeretur (1). Quercus hodie in Galatia paucissimæ sunt, nec veprium altitudinem vulgo excedunt. In Galatia, quam fere totam lustravi, aliud quercetum, quod hoc nomine dignum esset, non vidi, quam in quod incidi ad vicum *Assarli-kaïa* dictum, septem horis circiter ab Ancyra Occidentem versus; ibi antiquas et proceras quercus in monte leniter declivi aspicias, quæ veteris silvæ velut ruinæ huc et illuc dispersæ existunt, vico circumfusæ. Prisci illius *Drunæmeti*, quod, patrio more et avita religione consecratum (2), totius nationis legatos non semel excepit, hic me reliquias sub oculis habere mihimet in animo persuadebam, dum truncorum robore et amplitudine ramorum, insolitis in arida et jam antiquitus spoliata arboribus regione prodigiis, non sine silvarum nostrarum recordatione et patriæ desiderio fruerer.

Postquam, senatu Romano intercedente, Gallica gens cum rege Pergami, et paulo post cum rege Cappadociæ Ariarathe VI (3), pacem iterum pepigerunt, anni quinquaginta circiter labuntur donec iterum apud historicos Gallorum fiat mentio. Ne

(1) Vide Henri Martin, *Hist. de France*, 4e édit., t. I, p. 84, note 3.

(2) De religione, qua colebatur quercus, vide Henri Martin, *Histoire de France*, t. I, p. 67 (4e édition).

(3) Polyb. XXI, 11. Strabo, XXII, 2, 8.

omnino desit nobis horum temporum notitia, in hoc intervallum incidunt tituli quidam a Germano homine, Mordtmanno, ad urbem *Sivri-Hissar*, in Armenorum cœmeterio, nuper inventi et exscripti (1). Fragmenta sunt epistolarum a regibus Pergami Eumene II et Attalo II scriptarum ad summos sacerdotes Deæ Magnæ Cybeles, qui Pessinunte velut regnabant, Attides dicti perpetuo cognomine (2). His simultas cum Gallis optimatibus intercedebat, qui, si templum non expilaverant, at certe vectigale fecerant; quid quod isti pontifices qui, ipsius Deæ se quasi vicarios jactantes, ejus nomine late patentem agrum, urbana prædia, domos, officinas, multa millia servorum ad hanc diem possederant primasque in tota regione partes gesserant, Gallorum adventu se isto velut principatu dejectos senserant et jam tributum solvere, jam ex advenæ et barbari reguli nutu pendere? Opem et auxilium adversus Gallos undique sibi quæritantes, cum Pergami

(1) Tituli primum editi sunt in diario Academiæ Monacensis (*Sitzungsberichte*, 1860, p. 180 et seqq.). Quum *Historiam romanam* quartum jam ederet Mommsenius, iis usus est; qui autem opus Gallice vertit Alexander, in excursu ad calcem quarti voluminis (p. 379), Gallice translatos titulos protulit.

(2) Polyb. XXII, 20. Cf. titulos de quibus supra. Vario tempore scriptæ sunt epistolæ, nec omnes, ut videtur, ad eumdem virum. Semper tamen ad Attidem inscribuntur. Duos pontifices fuisse conjiceres ex Polybio, qui legatos inducit ad Manlium « ab Attide et Battaco, Matris Magnæ sacerdotibus missos ; » sed et ille prius Attidem nominat, et litteræ, quæ a Pergami regibus scriptæ exstant, omnes Attidis nomen solum præferunt. Inter summum illum pontificem, qui ab omnibus, et hunc alterum, qui a Polybio tantum memoratur, quid interesset, nos fugit.

primum regibus, mox per illos cum senatu Romano amicitiæ, legationum, mutui officii commercium iniere. Casu evenit ut, sub finem primi Punici belli, Pessinuntii sacerdotes occasionem opportunam nanciscerentur susperstitioni Romanæ gratificandi, quum Romanis « lapidem nigellum (1) » qui simulacrum Magnæ Matris Ideæ habebatur, Romam asportandum benevolentissime concessissent (2). Nec omissum est inceptum his auspiciis fœdus; Manlio adversus Gallos pergenti obviam ivere Magnæ Deæ Pessinuntii sacerdotes, fausta Romanis armis comprecati et consuli futuram victoriam gratulantes (3). Postquam Romani, Asiæ regimen nondum suscipere volentes, exercitum in Europam reduxere, manent in Pergamenorum regum clientela templi antistites; in ea epistola, quæ prima omnium scripta esse nobis videtur, et quæ sola in certum annum incidit, nempe in Eumenis II quartum et vigesimum, rex Eumenes Attidi opem suam et præsidium militum pollicetur, quo se et templum adversus barbaræ gentis, quæ in vicinia habitabat et *Pesonges* dicebatur, incursum et inimicitias defendat. Nec hoc tantum : sed et aliunde comperimus ædem illam, cui adversus hostiles incursus protegendæ operam dabat Eumenes, Pergameno-

(1) Prudent. *Martyr. Roman.* 206.
(2) Liv. XXIX, 10, 11, 14. Cf. Ovid. *Fast.* IV, v. 247 et seqq. vv.
(3) Liv. XXXIX.

rum regum impensa renovatam fuisse, auctam et ornatam, marmoreis columnis, marmoreis porticibus decoratam (1). Res ita non cessisset, nec hunc sibi in Galatiam aditum aperire et munire valuissent Eumenes et Attalus, si fuisset Galatia sub unius principis imperio, vel certe si arctiori societatis vinculo juncti fuissent tres Galatiæ populi et eorum reguli; sed, ut res se habebat, de communi utilitate inter nationis duces non conveniebat, et, dum Cybeles sacerdotes libertati Gallorum insidiari non desinerent, hic aut ille regulus, ut ex commeantium ad fanum forumque numero amplum vectigal perciperet, cum Attalo, Pessinuntios tutaturus, fœdus inibat. Longius processere Gallici optimates; dum paulatim indigenarum et accolarum sensus et mores induerent, eo venere ut jam, circa centum et quinquaginta ante Christum annos, Gallici optimates summum Magnæ Matris sacerdotium sibi arrogarent, et, si qui hoc munere fungerentur, potius jam Romæ et externorum regum amicitiam captarent quam suæ gentis utilitati inservirent. Comperimus enim ex harum epistolarum, quæ ab Eumene ad summos Pessinuntis sacerdotes scriptæ fuerunt, mutilo quodam et breviori fragmento, adjutum fuisse a rege unum illorum adversus fratrem suum, qui Aiorix nominabatur. Hoc autem nomen Galli-

(1) Strabo, XII, 5.

cum esse si, ut credimus, manifestum est, sequitur Aiorigis fratrem, qui sub Attidis titulo latet, et ipsum Gallica stirpe oriundum esse. Jam, ut ex hoc indicio conjicere licet, consueverant Tolistobogorum reguli antiquum illud sacerdotium, quod tanta auctoritate in finitimorum populorum opinione pollebat et pontifici tam ampli reditus copiam faciebat, sibi assumere, nec illud Gallicæ genti virium incrementum afferebat, sed ita potius fiebat ut hac parte hosti semper pateret in Gallicum solum aditus, et Pergamenis regibus occasio daretur in Gallica negotia sese immiscendi.

Licet privatas simultates, aut spe prædandi, aut invidia, aut ira impulsi, inter se exercere vix desinerent Gallici optimates, circa finem secundi et initia primi ante Christum sæculi, Galatia, quantum in ea erat, quieta fuit, nec tamen hac pace et his otiis ita usa est ut se ad meliorem normam constitueret populosque suos arctioribus vinculis connecteret. Inde factum est ut, quum dominari cœpisset in Asia vir constantia et ingenio inter omnes Asiæ reges insignis, sed qui non sibi, non suis, non amicis, non hostibus parcere unquam didicerat, Galli jam ea haberent toleranda quæ tamdiu finitimos populos tolerare coegissent, jam iis injuriis, calamitatibus, ærumnis afficerentur, quibus totam Asiam, quum primum in hanc regionem invaserunt, ad summam desperationem adduxerant. In primo quod

gessit adversus Romanos bello, licet Galatas socios habuerit Mithridates, eorum duces, geniali mensæ accubantes et hospitio fidentes, perfide necavit Galatiamque, primoribus viris ita spoliatam et opis expertem, proculcandam et expilandam tradidit crudeli et nefario homini, Eumacho præsidi (1). Frustra conjuravere in perniciem regis odio exacerbati juvenes nobilissimi inter Gallos sanguinis (2); non nisi pace ad Dardanum inter regem et Romanos pacta coactus fuit Mithridates Galatia cedere (3).

Quum se talem adversus gentem Gallicam Mithridates gessisset, quoties inter Romam et Pontum exarsit bellum, Galli Romæ auxiliati sunt, et iis ducibus, qui Mithridatis potentiam repetitis ictibus ad terram afflixerunt, Lucullo, Pompeio, Gallici equites, præeunte Dejotaro, tetrarcharum fortissimo et jam nobilissimo, strenuam opem navaverunt. Postquam igitur concidisset Mithridates, Pompeio Asiam constituenti placuit Dejotarum Armenia Minori et Ponticæ ditionis parte donare, regemque simul appellare (4). Sua Galatiæ libertas servata est, ita tamen ut ceteris tetrarchis et principibus divitiis, auctoritate, militum, quos in armis habebat, numero et disciplina ceteris omnibus longe præstaret Dejotarus, et ab æqualibus « Gallo-Græciæ pene

(1) Appian. *Mithrid.* XLI, XLVI, LIV, LVIII.
(2) Plutarch. *De virt. mul.* XXIII.
(3) Appian. l. l. LV. Velleius II, 23; Oros. VI, 2. Memnon, 37.
(4) Strabo, XII, 3, 13.

totius tetrarcha » vocaretur (1). Intellexerat Dejotarus, vir fortis, strenuus et prudens, hac ætate, qua vivebat, Orientis regulo aliam viam, qua tute incederet, non esse, nisi ut omni modo se utilem præstaret Romanis, seque illis, quoties tempus sineret, opportunitate et sedulitate officiorum commendaret (2). Ergo, et dum bella fuerunt, omnibus consulibus et prætoribus, qui in Asia militaverunt, præsto affuit cum copiis, eosque in consilio et in campo adjuvit. Mortuo Mithridate, quum Asia fere quiesceret, in provincias Galatiæ finitimas, in consularem Asiam, in Ciliciam, in Bithyniam et Pontum novus præses non mittebatur, quin eum Dejotarus iret salutatum, suam ei operam sponte offerret, seque cum illo hospitii et amicitiæ vinculis conjungeret. Hunc in modum Ciceronem, Ciliciæ proconsulem, sibi obligavit, quum se illi adversus Pisidiæ prædones socium adjunxisset, adversus Parthos provinciæ imminentes promisisset (3). Quot Romani proceres Asiaticas provincias rexerant, tot amicos et fautores Romæ habebat Dejotarus. Belli civilis scopulo fere allisa est Dejotari fortuna, quum Pompeii, cujus sub signis prima fere stipendia meruerat et nomen nobilitaverat, quum Senatus, cujus honorificis decretis publice toties laudatus erat,

(1) Hist. *B. Alexand.* 67. Cf. Cic. *ad famil.* I, 15.

(2) « Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit. » Cic. *Pro rege Dejot.* 27.

(3) Cic. *ad Attic.* V, 18, 2; V, 20, 9; V, 21, 14; VI, 1, 4, et 14.

jussis paruisset et ad Pharsaliam contra Cæsarem pugnavisset. Postquam debellatum fuit, in regnum suum propere redux Dejotarus, omni ope enisus est ut veniam a Cæsare impetraret; Cn. Domitio Calvino, quem Cæsar in Asiam cum parvo exercitu miserat, morem gessit (1), et Cæsaris primum legato, mox ipsi Cæsari adversus Pharnacem Gallicam legionem, quam jamdiu ad Romanum morem conscripserat, armaverat, exercuerat, commodavit (2).

Nihilominus Minorem Armeniam Cæsar illi ademptsit, regium titulum reliquit, maxima tamen Galatiæ parte Mithridati Pergameno assignata; hic autem, dum Bosporano regno, quod et ipsum a Cæsare acceperat, potiri studet, per Asandri fraudem periit, ita ut Dejotarus in Galatiæ possessionem hac morte iterum remitteretur (3). Duobus autem post annis, cum Romæ essent legati a rege Dejotaro missi, unus ex illis, Castor, regis nepos, avum insimulavit insidiarum adversus Cæsaris vitam, dum dictator in Galatia moraretur, structarum; ut aiebat accusator, casu, an potius Deorum immortalium benevolentia servatus fuerat Cæsar; quantum erat in Dejotaro, periturus erat (4). Regis causam egit Tullius, eloquentia autem sua hoc tantum profecit ut Cæsar

(1) Cic. *Pro rege Dejot.* 24.
(2) Hirt. *De bel. Alex.* LXVIII. Cic. *Epist. ad Att.* VI, 1, 14.
(3) Appian. *Mithrid.* 121. Strabon, XIII, 4, 3. Cic. *Philip.* II, 94.
(4) Vide totam Ciceronis orationem *pro rege Dejotaro.*

sententiam dicere abstineret, remque integram in Parthici belli tempus differret.

Qui factum fuerit ut Cæsar ad Parthicum bellum non proficisceretur, satis notum est. Audita Cæsaris morte, Dejotarus ea quæ amiserat, Armeniam Minorem et Pontica castella iterum sibi vindicavit (1), et in hujus tractus possessione tum ab Antonio, qui sub Cæsaris mortui nomine populos, honores, regna venditabat, tum a Bruto et Cassio, qui postea Asiam obtinuerunt, confirmatus, Pompeii Magni et veterum studiorum non immemor, auxilio Gallici equitatus Cassianum exercitum, in Macedoniam pergentem, instruxit (2).

Circa Philippensis pugnæ tempus vita cessisse Dejotarus videtur, tempestivo exitu novis periculis exemptus. Antequam ætate conficeretur, nepotis aut perfidiam aut certe malevolum erga se animum ultus erat, quum hujus parentes, Castorem Saocandarium suamque ipsius filiam, Castoris uxorem, in castello obsessos cepisset et occidisset (3). Decesserat ante patrem, ut videtur, Dejotari filius, patri cognominis, egregiæ spei juvenis, qui et ipse, vivo patre, rex fuerat a Senatu appellatus (4); de ejus

(1) Cic. *Philip.* II, 94-95.

(2) Dio. XLVII, 24, 48.

(3) Strabo, XII, 5. Ille idem est, qui a Cæsare Tarcundarius Castor nominatur (*B. C.* III, 4). Humili genere, a Rhodo oriundus, rhetoricis studiis primum deditus, si Suidæ credimus (s. v. Κάστωρ), Dejotaro placuit et ab illo ad tetrarchiam evectus et Gallico cognomine ornatus fuit. Cf. Cic. *Pro Dejot.* 30.

(4) Cic. *ad Attic.*, V, 17, 3; 18, 4. *Philip.* XI, 13, 38.

mortis tempore et genere nihil quidem nobis est a scriptoribus traditum, nomen autem ejus, circa Philippensis pugnæ tempora, ex historia subito evanidum, nos id ut conjiceremus adduxit. Verisimile enim erat, si superfuisset seni, nos aut de pœna illi a triumviris irrogata, aut de tetrarchia, quæ illi concessa esset, audituros fuisse.

Tolistobogum fuisse, et hujus gentis tetrarchiam hereditariam a patre accepisse Dejotarum Strabo diserte narrat (1) ; quod ex ipso nomine regionis, ubi erant castella in quibus vulgo commorabatur et thesauros suos asservabat, Blukion scilicet et Peion, jam conjicere potuissemus (2).

De aliis Gallorum principibus et tetrarchis, qui circa eadem tempora in Asia floruerunt et urbes quam plurimas a Romanis ducibus regendas acceperunt, nihil fere nisi nomen et assignatam provinciam scimus. Brogitarus quidam, gener et ipse Dejotari, à P. Clodio, tribuno plebis, regium titulum Gallica pecunia emptum cum summo Magnæ Matris sacerdotio non diu, ut videtur, tenuit (3).

(1) Strabo, XII, 3, 13.

(2) Strabo, XII, 5, 2. Dubium videri non potest quin unum idemque sit hoc Strabonis Βλούκιον et illud Ciceronis *Luceium* aut *Lucceium* castellum, in quo Dejotarus Cæsarem aliquot dies hospitem habuit. *Pro rege Dejot.*, 17, 21.

(3) Cic. *De Harusp. resp.*, 13. *Pro Sestio*, 26. Cf. *Epist. ad Quint. fr.* II, 9. Hunc regem gessisse testatur argenteum numisma singulare, quod in imperatoria bibliotheca Lutetiæ Parisiorum asservatur, ejus nomine inscriptum (Βρογιτάρου βασιλέως φιλορωμαίου). V. Mionnet, *Description des médailles*, t. IV, p. 405, et de Luynes, *Revue de numismatique*, 1845, p. 264.

Pontici regni partem cum Mithridatio castello Bogodiatorus a Pompeio acceperat; Ateporix partem Zelaïtidis aut ab illo aut ab alio quodam Romanorum ducum qui Asiæ rebus providerant (1). Materno sanguine Gallus erat et ille Mithridates Pergamenus, Eupatoris filius, cui Cæsar Galatiæ tetrarchiam et Bosporanum regnum concessit (2). Heracleam urbem Antonius triumvir Adiatorigi tradidit, qui, Actiaci belli tempore, omnes Romanos, qui in ea consistebant, nocte una trucidavit, ob quod flagitium ab Octavio post Actiacam pugnam morte mulctatus est; ejus autem filius natu major, Dyteutes, ab eodem est Comanorum sacerdos nominatus, quum in Asia hæc sacerdotia regiam fere potestatem subministrarent (3). Hac ætate Romani Gallicos istos principes urbibus et populis, quos ipsi per Romanos præsides nondum regere destinant, sæpissime præponunt, tum quod viros strenuos et fortes in manu habere expedit, tum quoque, nisi fallimur, quod impotentium et avidorum regulorum jugum ægre ferentes populi ad id citissime perducuntur ut gentibus invideant proconsulari imperis subditis, Romanique magistratus tutelam veris precibus expetant et exposcant (4).

(1) Strabo, XII, 5, 2; XII, 3, 37.
(2) Appian. *Mithrid.*, 121. Strabo, XIII, 4, 3.
(3) Strabo, XII, 3, 6; 35.
(4) Regulis Galatiæ assignati diu fuerunt nummi Cæantoli, Bitouki,

Mediterraneam Asiæ regionem hac conditione Amyntas habuit post Dejotarum, et gentes, quæ paulo post in Galatiam provinciam coalescent, adsuefecit ut sub uno rectore viverent et a Galatia penderent (1). Amyntas, qui ab epistolis Dejotaro fuerat, alæ Gallicæ præerat, quam rex Bruto et Cassio adversus triumviros pergentibus auxiliaturam mandaverat, et post priorem pugnam, qua Cassius cecidit, ad Antonium defecit (2). Mercedem igitur proditionis Antonius illi tribuit cum regio Dejotari, qui interdum vita cesserat, titulo, Galatiam, partem Lycaoniæ, Pamphyliæ et Pisidiæ (3). Nihilominus tamen, in Actiaco bello, ab Antonio ad Octavium Amyntas defecit (4). Iterum ergo proditori gratiam retulit victor; ejus regno Ciliciæ partem, quæ *Aspera* dicebatur, adjecit, permisitque

aliorumque, quos nuper Galatiæ abjudicaverunt et Galliæ Narbonensi restituerunt qui in hisce rebus vident. Errorem, in quem multi inciderant, primus confutavit, aut inter primos, De Saulcy (*Revue numismatique*, 1856, p. 3-6), in sua ad Wittium epistola de illis, qui falso dicuntur, Galatiæ regulis.

(1) De Amynta ejusque fortunæ et regni incrementis vide de Luynes, *Revue numismatique*, 1845, p. 253-256. Postquam rex dictus fuit, videtur, licet Side nunquam in ejus potestate fuerit, in hac Pamphyliæ urbe, a Sidenis artificibus, ad speciem Sidenorum nummorum, egregios suos tetradrachmos faciendos curavisse.

(2) Dio. XLVII, 48.

(3) Dio. XLIX, 32. Appian. *B. C.* V. Anno 40 a. Chr., Galatia, ut e Dione (XLVIII, 33) comperimus, Castori cuidam, de quo noster nihil omnino nisi nomen videtur scire, assignata fuerat; eum hunc fuisse qui Dejotarum accusaverat apud Cæsarem, verisimile est. Quum autem quatuor post annis (36 a. Chr.) Amyntam Galatiæ præficiat Antonius, hujus Castoris, de quo nihil memoriæ traditum est, mentionem facere vix operæ pretium erat.

(4) Velleius, II, 84; Horat. *Epod.* 9, 17.

ut, quantum vellet ac posset, ditionis suæ fines Taurum et meridiem versus prolataret, devictis et attritis Pisidis et Isauris, indomitis latronibus, qui jam Romanis ducibus materiam belli et triumphorum præbuerant, nec tamen quiescebant, at sæpius Phrygiam, Galatiam, Cappadociam, rapidis et prædatoriis incursibus vexabant. Eos igitur adortus Amyntas non sine multo sudore et sanguine Antipatrum, prædonum ducem famosum, e Derbe expulit, et Cremna, multisque castellis, quæ iniquitas locorum ad hunc diem tutata erat, vi potitus est (1); in ipsis montium præcordiis, ut recens victas gentes sub oculis et in manibus haberet, ut præsens contineret et, si qui rebellarent, subito adesset castigaturus, sedem suam collocavit. Isaura a Romanis, qui in eis, ut videtur, jam inde a Servilii Isaurici tempore præsidium habuerant, acceperat, urbemque hanc novi regni caput futuram esse statuerat; oppidum igitur, jam natura defensum, muro et turribus, quæ etiam nunc hodie viator aspicit et admiratur, circumdare cœperat, quum in bello, quod adversus gentem Pisidiæ ferocissimam Omonadeas, gerebat et jam ferme confecerat, per insidias circumventus et interemptus est (2). Licet filios relinqueret, ut testatur titulus Ancyranus, Galatiam cum plerisque ur-

(1) Strabo, XII, 6.
(2) Strabo, XII, 6, 5.

bibus ac populis, quibus imperaverant Dejotarus et Amyntas, Augustus in Romanæ provinciæ formam redegit (25 a. Chr.), quæ GALATIA dicta est, primumque præsidem habuit M. Lollium legatum Augusti pro prætore (1).

(1) Dio. LIII, 26.

CAPUT II.

PARTES ET FINES PROVINCIAE GALATIAE.

Nova provincia, quæ post Amyntæ mortem in mediterranea Asia constituta est, cur *Galatia* a Romanis nuncupata fuerit, operæ pretium est paucis exponere; quos enim Græci Κελτάς et Γαλατάς, Romani *Gallos* vocare solent, et *Galliam*, non *Galatiam* dicere debuissent regionem quam obtinebant Gallicæ gentes, Trocmi, Tolistobogi, Tectosages. Quum autem vellent Asiaticos hos Gallos ab Cisalpinis et Transalpinis Gallis, cum quibus quotidie negotium habebant, proprio quodam et peculiari nomine distinguere, Gallos istos inter Græcas gentes diffusos, Græco sermone jam utentes et in Græci ritus et moris imitationem pronos *Gallo-Græcos*, et regionem, quam occupaverant, *Gallo-Græciam* appellavere. His vulgo vocabulis utuntur, quum in horum mentionem incidunt Latini scriptores Cæsari aut Au-

gusto ætate suppares, Cæsar ipse (1), Hirtius (2), Livius (3), etc. Jam tamen apud Tullium semel invenias verbum *Galatas* (4); qui enim Asiam regebant consules, prætores, quæstores populi Romani, negotiatores et publicani per Asiam sparsi, quum in hac regione Græcus sermo ab omnibus usurparetur, nomen Γαλατάς semper in auribus habebant; ipsi quoque, dum Græce loquerentur et scriberent, creberrime Γαλατάς pronuntiabant, ita ut sensim assueverint Græco vocabulo uti, quum non de Gallis, qui Occidentem incolebant, sed de illis, qui in Oriente sedem suam elegerant, loquerentur. Sic in Latini sermonis consuetudinem circa Cæsaris ætatem Græcum vocabulum Γαλαταί se paulatim insinuavit, et Augustus, quum anno 25 a. Chr. regionem, quæ sub Amynta fuerat, in provinciæ formam redegit, libenter novæ provinciæ Galatiam nomen imposuit, quo omnes ambages tollerentur, et statim intelligeretur, non agi de Occidentali et Europensi, sed de Orientali et Asiatica Gallia. Ubi semel Græcum istud vocabulum principis velut decreto in Latinam linguam adscitum est, quod gentis Gallicæ partem quamdam designaret et a reliqua natione segregaret, apud posterioris ævi scriptores, seu his-

(1) *D. B. C.* III, 4.
(2) *D. B. Al.* 67.
(3) XXXVIII, 12 : Cn. Manlius in Gallo-Græcia bellum gessit... 17 : Hi jam degeneres sunt, mixti, et Gallogræci vere, quod appellantur.
(4) *Ad Attic.*, VI, V, 3 : « Auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. »

torici, seu poëtæ sint, *Galatas* (1), *Galatiam* (2), *Galaticam* supellectilem (3) creberrime invenias. Latinam serioris ævi linguam et consuetudinem secutus noster recentiorum Gallorum sermo duplicem et ipse verborum seriem admisit, vocabula *Gaule, Gaulois,* et *Galatie, Galates,* quorum ope subito intelligas an Europensis, an Asiaticæ Galliæ mentio fiat; an illorum, qui magni Cæsaris impetum et arma decem continuos annos sustinuerunt; an horum, quos, peregrinis moribus infectos, Manlius fere uno ictu prostravit, ita ut in Romanam primum clientelam, mox in Romanam ditionem sine bello venirent.

Ut multæ aliæ imperii Romani regiones, sic et Galatia ab anno, quo in provinciæ formam redacta est, annos computare cœpit. Quam rem, quum Galatiæ nummos inspiceret, jam notaverat Eckhelius (4), frustra in dubitationem adducere tentaverat Franzius (5), et extra omnem controversiam posuit, quem nuper his studiis ademptum lugemus, Cavedonius (6). Ille ex nummis quibusdam Eckhelio ignotis, et apud Tavianos signatis quo anno Septimius Severus per Galatiam contra Pescennium iter

(1) Tac. *Ann.* XV, 16. Claud. *in Eutrop.* I, 59.

(2) Tac. *Ann.* XIII, 35. H. II, 9. Plin. *H. N.* V, 42, 1; XIV, 11, 1; XV, 7, 6; XVI, 12, 1; etc. Stat. *Silv.* I, 4, 76.

(3) Plin. *H. N.* XXIX, 9, 4; XX, 51, 1.

(4) *D. N. V.*, IV, p. 377. Cf. III, 182.

(5) *C. I. Gr.* ad nn. 4099-4112.

(6) *Bullettino dell' Instituto archeologico,* 1845, p. 94.

faceret, ostendit annum hunc CIH (218) quo signati sunt, mirum in modum cum hac annos computandi ratione congruere, quæ initium ducit ab anno ante Christum vigesimo quinto (729 U. C.), quo consules fuere Augustus VIIII et M. Junius Silanus.

Longe ultra fines regionis, quæ proprie Galatia vocabatur, patuit nova provincia, quæ post Amyntæ mortem accrevit imperio Romano. Supra enim ostendimus Amyntæ subjectas fuisse non tantum Galatiam (1), sed Pisidiam (2), Lycaoniam, Pamphyliæ partem (3) et Phrygiæ, Isauriam, Ciliciam Asperam (4). Post Amyntæ mortem uni Romano præsidi concreditam fuisse omnem regionem, qua Amyntæ regnum constabat, non semel testis est Strabo (5); ex ipso tamen Strabone conjicias hæc non esse absolute intelligenda, et plerasque, non tamen omnes urbes, quæ sub Amynta erant, intra novæ hujus provinciæ fines fuisse comprehensas. Asperam enim Ciliciam, postquam vita functus fuit Amyntas, ad Archelaum Cappadociæ regem delatam fuisse a Romanis auctor est Strabo (6). Monet item Dio urbes Pamphyliæ, quæ Amyntæ paruerant, libertati

(1) Dio-Cass., XLIX, 32 ; LI, 2.

(2) Appian., *B. C.* V, 75.

(3) Dio-Cass., XLIX, 32.

(4) Strabo, XII, 5, 4 ; XII, 6, 1, 3, 4 ; XII, 7. 3; XIV. 5, 6.

(5) XII, 5, 1. Νῦν δ'ἔχουσι Ῥωμαῖοι καὶ ταύτην, καὶ τὴν ὑπὸ τῷ Ἀμύντᾳ γενομένην πᾶσαν εἰς μῖαν συναγαγόντες ἐπαρχίαν. XII, 6, 5. ἡ Σαγαλασσὸς δ'ἐστὶν ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἡγεμόνι τῶν Ῥωμαίων, ὑφ' ᾧ καὶ ἡ Ἀμύντου βασιλεία πᾶσα. Cf. XII, 7, 3.

(6) Strabo, XIV, 5, 6.

redditas fuisse (1); quod libertatis nomen postquam paucis post annis evanuit, Pamphyliæ provinciæ quæ inter Taurum et mare velut constricta, arctis certe finibus concludebatur, addictæ fuerant urbes Pamphylicæ, quas ea tantum mente, ut videtur, Antonius et Augustus Amyntæ concesserant, ut rex omnes Tauri valles et fauces castellis et præsidiis suis muniret, et ferociam indomitarum gentium ita valeret tenaciori freno compescere.

Quod si igitur Ciliciam Asperam et Pamphyliam excipias, novæ provinciæ, Galatiæ scilicet, fines cum regni, quod Amyntas habuerat, finibus congruebant. Quod ad Lycaoniam spectat, rem disertis verbis declarat Dio, omnium, quæ ad has mutationes finium et ad administrandi imperii normam pertinent, auctor locupletissimus. « Amynta mortuo, » inquit, « hanc regionem Augustus non ejus filiis assignavit, sed in provinciæ formam redegit (εἰς τὴν ὑπήκοον ἐξήγαγε), ita ut Galatia cum Lycaonia sub Romano præside esset (2). » Cum Dionis testimonio consentit titulus Iconiensis ab hujusce urbis populo dicatus L. Pupio Præsenti (3), procuratori Augusti Galatiæ provinciæ (ἐπίτροπον Τιβερίου Κλαυδίου Καίσαρος Σεβαστοῦ Γερμανικοῦ καὶ Νέρωνος Κλαυδίου Καίσαρος Σεβαστοῦ

(1) Dio, LIII, 26.
(2) Dio, LIII, 26.
(3) *C. I. Gr.* 3991, Perperam Franzius Πούπιον, quod scriptum erat in apographo, mutavit in Πούπλιον, quum Publius prænomen sit, at contra Pupius gentilitium nomen aliunde notum.

Γερμανικοῦ Γαλατικῆς ἐπαρχείας, τὸν ἑαυτοῦ εὐεργέτην καὶ κτίστην). Si Dio de Lycaoniæ cum Galatiæ conjunctione tacuisset, jam ex hoc titulo intelligeremus sub Claudio certe et Nerone Lycaoniam sub eo procuratore fuisse, qui Galatiæ reditus colligebat et administrabat, ideoque simul legato Galatiæ, cui ad latus erat ille procurator, paruisse (1).

Si ad Pisidiam transeamus, totum hunc tractum fuisse cum Galatia conjunctum non minus certis argumentis demonstratur. Strabo enim, dum narrat quæ bella in ipsis Tauri montis visceribus Amyntas gesserit et quæ oppida expugnaverit, obiter monet Sagalassum ab eodem præside Romano regi cui parent et ceteræ urbes quæ Amyntæ subjectæ fuerant. Quum autem Sagalassus in suis nummis et titulis se caput esse Pisidiæ jactet, manifestum est toti Pisidiæ eumdem legatum præpositum fuisse, a quo penderet prima Pisidicarum urbium, illa sine dubio ubi conventus stato tempore haberetur (2). Ut autem

(1) Plinium adde, qui, licet Lycaoniam cum Asia proconsulari connectere videatur (*H. N.* V, 25), inter gentes tamen, quas complectitur Galatia, Thebasenos numerat (ibid., V, 43), quum, paulo ante (V, 25), Thebasa inter primores Lycaoniæ urbes nominaverit. Quum confusum sit et male digestum hoc omne, quod Plinius de Asia proconsulari et ejus conventibus disserit, hoc tamen intelligas, eum Lycaoniam in duas partes dividere, Lycaoniam proprie dictam, quæ ab Asia pendet, et *tetrarchiam ex Lycaonia* quæ cum Iconio et XIV urbibus Galatica est. Quum Amyntas non totam Lycaoniam possederit, verisimile est hanc *tetrarchiam ex Lycaonia* nihil aliud esse quam partem hanc Lycaoniæ, quæ ab Amynta regebatur.

(2) In nummo Valeriani nomine inscripto Sagalassus dicitur πρώτη Πισίδων καὶ φίλη σύμμαχος. Eckhel. *D. N. V*, p. 271. Cf. titulum inter

nobis omnis dubitatio eximatur, de Selge, non aliter ac de Sagalasso, prædicat Strabo, Selgicam urbem ac regionem in provincia censeri, quæ olim Amyntæ paruit (1).

Quod ad Apolloniam hanc attinet quæ in limite Pisidiæ et Phrygiæ Magnæ stabat (2), in loco hodie *Oluburlu* dicto, eam quoque Galatiæ legato attributam fuisse si non a scriptoribus discimus, at ex indicio, cui mentem nondum advertere qui in has res inquisivere, admodum probabile fit. Ut Ancyram, ita Apolloniam templum Divo Augusto et Deæ Romæ consecrasse apud doctos jam diu vulgatum est, et in hujus templi ruderibus inscriptum fuisse Indicem illum celeberrimum rerum ab Augusto gestarum, quem ipse Imperator sub vitæ finem composuerat. An ipse index Apolloniæ, ut Ancyræ, latino sermone transcriptus fuerit in templi parietibus, prorsus ignoramus, at in Græcum sermonem translatum ibi stetisse testantur versus ab Arundelio et Hamiltonio exscripti (3). Ea interpretatio an eadem fuerit Ancyræ et Apolloniæ

rudera urbis inventum in basi: ἡ Σαγαλασσέων πόλις πρώτη τῆς Πισιδίας φίλη καὶ σύμμαχος Ῥωμαίων. *C. I. Gr.* 4368.

(1) Νῦν δὲ ὑπήκοοι τελέως γεγόνασι, καί εἰσιν ἐν τῇ ὑπὸ Ἀμύντᾳ τεταγμένῃ πρότερον. XII, 7, 3.

(2) Stephanus Byzantius (s. v. n. 17) eam Pisidiæ tribuit, quum eam Strabo Phrygiæ assignet (XII, 8, 14).

(3) Arundell, *Discoveries in Asia Minor*, Londini, 1834, t. I, p. 241; t. II, p. 426. Hamilton, *Researches in Asia Minor*, t. II, appendix, n. 455. Cf. *C. I. Gr.* III, n. 3971.

dubitabat Franzius (1); postquam autem nostra opera maxima pars Græci tituli Ancyrani in lucem prodiit (2), Mommsenius, qui de monumento Ancyrano nuper luculente disseruit, et cum Khirchovio totam interpretationem Græcam recensuit, iisdem verbis Ancyræ et Apolloniæ conceptam esse affirmavit (3). Ex paucis autem erroribus, qui in ea deprehenduntur, manifestum est non Romæ, magistratuum cura et per eos delecti interpretis diligentia, indicem e Latino sermone in Græcum fuisse versum, ita ut publica auctoritate comprobata interpretatio per omnes Orientis provincias diffunderetur. Quod si res ita transacta fuisset, non incideremus in errores, qui interpretem produnt publici Romanorum juris, si non plane rudem, at certe quædam interdum permiscentem nec bene quid sibi velint intelligentem (4). Verisimile ergo est provinciarum, quæ Latine non loquerentur, urbibus, si suum sibi Augusteum habere vellent et in ejus parietibus *Indicis* interpretationem Græcam inscribere, quæ Augusti res gestas omnium oculis subjiceret et omnium mentibus approbaret, eam curam demandatam fuisse, ut interpretationem

(1) *Cæsaris Augusti index rerum a se gestarum*, restituit Franzius, commentario instruxit A. W Zumpt. In-4°, Berolini, 1845; p. 101.

(2) *Exploration archéologique de la Galatie et de la Bithynie*, par MM. G. Perrot, E. Guillaume, et J. Delbet, pl. 27, 28, 29.

(3) Mommsen, *Res gestæ Divi Augusti, ex monumento Ancyrano et Apolloniensi*, Berolini, in-8°, 1865, p. XXVI.

(4) Mommsen, *ibid.*, XXVII.

Græcam ad arbitrium suum, quam optime fieri posset, constituerent. Quum autem ea res in remota provincia non parum difficultatis haberet et ægre, in unaquaque Græcarum urbium, scriba inveniri potuisset utriusque linguæ ita peritus ut omnia reipublicæ Romanæ, tot magistratuum, dignitatum, honorum nomina aptis et accuratis vocabulis redderet, nec integritatem orationis corrumperet et majestatem imminueret, jure conjicias in metropoli provinciæ, sub oculis Romani præsidis et ejus comitum et scribarum ope, elaboratam et confectam fuisse interpretationem Græcam quæ Latino monumento adjungeretur. Ita, ut mihi quidem videtur, quum *Commune Galatarum* tanto sumptu magnificum Romæ et Augusti templum Ancyræ ædificaret ludosque solemnes in Imperatoris honorem consecraret, gentis principes, qui nihil omittere volebant unde honor Augusto et ipsis rei liberaliter et sine parcimonia gestæ fama accresceret, *Indicem*, qui nuper innotuerat, in vulgarem provinciæ sermonem vertendum curaverunt et interpretationem hanc omnium oculis in externo et orientali cellæ latere subjecerunt. Inde interpretationem hanc Apollonienses descripsisse admodum probabile est, quum non sine magna temporis et pecuniæ impensa idem opus incipere et ad finem optatum perducere potuissent, et illa interpretatio, satis, si omnia recensemus, accurata et elegans, se publica præsidis auc-

toritate comprobatam toti velut provinciæ offerret. Quum ergo interpretatio Apolloniensis et Ancyrana una atque eadem plane sint, inde novum quoddam indicium nobis datur, quo ducti idem de Apollonia ac de reliquis Pisidiæ urbibus sentiamus, eam fuisse cum Ancyra conjunctam et ejusdem legati in manu positam.

De Isauria, ubi caput regni collocare, ad *Isaura nova*, meditatus erat Amyntas, nihil fere memoriæ mandatum; quum autem, Pamphylia et Cilicia exceptis, totum Amyntæ regnum in unam provinciam teste Strabone coaluerit, fieri non potuit quin Isauria cum Galatia conjungeretur. Quod et ex Plinio conjicias, qui, cum Galaticos populos enumeret, mentionem facit et Lystrenorum (1). Lystreni autem non Gallica gens sunt, sed nihil aliud quam cives hujusce urbis Lystræ, inter Isauricas sæpius nominatæ, quam, Iconio fugiens, Paulus apostolus invisit; sic et infra positi Thebaseni ad urbem Lycaoniæ, ut supra monuimus, pertinent. Ibi enim Plinius, postquam *gentes*, ut dicit, Gallorum quæ partem eam Asiæ insedere nominavit, et *populos*, id est civitates, quæ provincia continentur, non omnes recenset (CXCV fuisse enim affirmat), undecim tantum populorum meminit, qui omnes Græca aut certe Asiatica no-

(1) *H. N.* V, 43.

mina præ se ferunt, nec Gallicæ originis sunt, Gallici sanguinis. Inter hos, ut Thebasenos Lycaoniæ, ita Lystrenos Isauriæ memorat, unde manifestum est eum, Galatiam describere adortum, non tantum eam regionem in oculis habuisse, quæ proprie a Gallorum nepotibus incolebatur, sed vastum hunc tractum, Amyntæ regno fere supparem, qui in Ancyrani præsidis, legati Augusti pro prætore Galatiæ, manu et tutela positus esset. Licet alio loco Lycaoniam Asiæ proconsulari adjudicare videatur, quum hic, inter Galaticos populos et Isauricas et Lycaonicas urbes numeret, ex ejus quoque verbis, licet confusa sint et, ut plerumque apud illum evenit, male digesta, intelligitur Galatiam provinciam longe ultra fines Galatiæ propriæ, quam inter se diviserant Trocmi, Tectosages et Tolistobogi, patuisse.

Si non jam argumentis, quæ mihi rem extra controversiam ponere videntur, manifestum fecissem Galatiæ legato attributos fuisse illos tractus Tauri montis septentrionali lateri subjacentes, Lycaoniam scilicet, Pisidiam et Isauriam, ex libris *Novi Testamenti*, ut dicitur, ita constitutam fuisse provinciam Galatiam apprime conjicere potuissemus. Constat enim Paulum apostolum epistolam scripsisse quæ *ad Galatas* inscripta est, eos autem, ad quos ea epistola scripta est, ex ipsius apostoli ore, olim inter eos aliquantum temporis

commorati, Christianam fidem hausisse (1). Quum autem ex *Actis* Pauli itinera relegimus, et omnes regiones atque urbes, quas ille diversis temporibus lustravit et invisit, recensemus, nusquam invenimus illum urbes Galatiæ propriæ, Pessinuntem, Ancyram, Tavium, adiisse, nisi intelligamus mentionem earum latitare in narratione secundi itineris, ubi dicitur eum διελθεῖν τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν, et inde Mysiam venisse (2). Quum autem in eodem versu disertis verbis affirmetur Paulo et Timotheo « per Spiritum Sanctum non licuisse verbum Dei in Asia loqui, » quum ex toto contextu hujus narrationis manifestum sit apostolum cum suo comite ex Lystra, ubi Timotheum sibi adjunxerat, festinanter in Mysiam contendisse, et quum properato itinere rectissimam et brevissimam viam secutus tantum Occidentalem Galatiam attingere potuerit, parum verisimile est eum hac tempestate, qua ejus os ab ipso Deo velut clausum erat, has Galatiæ ecclesias fundavisse ad quas postea, velut a se ipso constitutas, epistolam scripsit. Qui igitur interpretes epistolam ad ecclesiam primoris urbis Galatiæ, ad Ancyranam scilicet, et ad Leonorii et Lutarii posteros scriptam esse vulgo affirmant, si eos interroges quando Paulus Galatis novæ fidei donum obtulerit, ἀπο-

(1) *Epist. ad Galat.*, I, 6-8.
(2) *Acta*, XVI, 6.

ῥοῦσι, et scriptorem, quisquis ille sit, qui res apostolicas in ordinem digessit, in locis enumerandis peccavisse et certe aliqua urbium nomina omisisse arguunt. Quid autem causæ est, cur elevemus fidem scriptoris, ceterum accurati et diligentis quique hanc Paulinorum itinerum rationem videtur optime novisse, earum peregrinationum, si traditis credimus, magnam partem ipse testis et comes? Nodum, quem frustra multi tentaverunt eludere, optime solvunt ea quæ ex variis auctoribus de finibus Galatiæ provinciæ, quales primo post Christum sæculo patebant, attulimus. In *Actis* legimus Paulum, postquam ex Antiochia decessisset, Cyprum appulisse, et e Cypro in Pamphyliam advectum, Pergam Pamphyliæ, inde Antiochiam Pisidiæ venisse, ubi aliquandiu, inde Iconium Lycaoniæ, ubi diutius commoratus est (1). A Judæis, qui ipsius vitæ insidiabantur, Iconio expulsus Lystram et Derben confugit, urbes in confiniis Lycaoniæ et Isauriæ sitas; inde Iconium et Antiochiam rediit et iter faciens per Pamphyliam portum Attaliam petiit, unde in Syriam reverteretur (2). Altero itinere, quo Asiam festinanter transgressus, Macedoniam invisit, Paulus iterum Lystræ immoratur, et in hac urbe comitem sibi eligit et adsiscit virum illum, qui ex hoc tempore omnium Apostoli labo-

(1) *Acta*, XIII.
(2) *Acta*, XIV.

rum fidissimus comes futurus erit, Timotheum scilicet, ita ut facile conjiciamus inter Paulum et ecclesias regionis Iconiensis mutuæ caritatis, nuntiorum et epistolarum commercium haberi cœptum esse, cujus unicum monumentum in epistola, quæ *ad Galatas* inscribitur, posteritati mandatum est.

Liquet igitur Paulum veros quidem Galatas, illos qui Celtico sanguine oriundi erant, non quidem adiisse, sed christianæ fidei semina dispersisse per gentes quæ, licet aliunde originem suam traherent, a Romanis Galatiæ provinciæ fuerant accensæ. Quum paucos post annos ad ecclesias, quas in hac regione condiderat, scripsit Paulus, ne in epistolæ titulo Pisidas, Lycaones, Isauros enumerare cogeretur, omnes uno vocabulo complexus est, et communi Galatarum nomine omnes appellavit christianos qui intra provinciæ romanæ Galatiæ fines continebantur. Verba hæc, πρὸς Γαλάτας, sive ipse Apostolus litteris suis inscripserit, sive postea addiderint illi qui apostolicos libellos recollegerunt et publici juris fecerunt, latiore hoc sensu, quem exposuimus, in epistolæ subscriptione usurpatum fuisse nomen Galatas intelliget quisquis meminerit Paulum Galatiam proprie dictam vix attigisse, sed meridiana tantum Amyntæi regni et Augusteæ provinciæ lustravisse.

Quod ad particulam hanc Phrygiæ, quæ Paroreos dicebatur, et quam, Ciliciæ prius provinciæ,

non Asiæ assignatam (1), Amyntæ largiti erant Antonius et Augustus (2), facile crederes has urbes, Apolloniam, Antiochiam ad Pisidiam, Philomelium provinciæ Asiæ, mortuo Amynta, redditas fuisse, nisi in titulis, qui in honorem præsidum et procuratorum Galatiæ concepti sunt, Phrygiæ nomen aliquando occurreret (3). Quum inter provincias, quæ Ancyrano præsidi parent, Phrygiæ mentio fiat, certum est eum aliquam Phrygiæ partem retinuisse; quum vero plerumque hoc Phrygiæ nomen omittatur, verisimile est duas aut tres tantum Phrygiæ urbes, tanti tractus minimam partem, connexas fuisse cum Galatia, ita ut plerumque in titulis negligerentur, et in iis tantum hic Phrygiæ velut angulus memoraretur, in quibus, longam subjectarum provinciarum seriem evolvendo nullumque ex tot nominibus omittendo, honori præsidis consulebatur. Ceteroquin non tres has diœceses, quæ olim Ciliciæ proconsuli subjectæ fuerant, Laodicensem scilicet, Synnadensem et Apamensem, Amyntæ concessas fuisse et dehinc Galatiæ legato, multis argumentis comprobatur (4); Galatiæ sortem sequebatur exi-

(1) De tempore, quo Phrygiæ magna pars ab Asiæ proconsule ad proconsulem Ciliciæ translata fuerit, vide Borghesium, *Œuvres*, I, 276.

(2) Strab., XII, 6, 4; XII, 8, 14.

(3) In titulo, quem Antiochiæ ad Pisidiam exscripsit Hamiltonius, audit Bellicius Sollers « leg. Aug. propr. provinc. Gal. Pisid. Phryg. Lyc. Isaur. Paphlag. Ponti Gala. Ponti Polemonian. Armen. » Hamilton, *Asia Minor*, II, Append., 178. Henzen, 6912.

(4) Anno 46 a. Chr. Laodicea *proconsuli Asiæ* paret. Cic. *Ad famil.*, XIII, 67. Plin. *H. N.*, V, 29.

guus Phrygiæ tractus, is tantum qui, Pisidiæ proximus, inter Tauri radices et montem hodie *Sultan-Dagh* dictum concluditur, ob hanc ipsam causam Paroreos appellatus. Antiochia ad Pisidiam, hujus regionis urbs florentissima et colonia juris Italici ab Augusto aucta, sub Galatiæ legato, non sub Asiæ proconsule erat, ut testatur titulus in honorem legati Galatiæ, Bellicii Solertis, ab Hamiltonio inter rudera Antiochiæ inventus et exscriptus (1).

Quod ex Dione, et imprimis Strabone conjecimus, omnes populos, exceptis Pamphyliis et Cilicibus, qui Amyntæ parebant, Galatiæ legato assignatos fuisse, omnes tituli, in quibus series minorum provinciarum huic præsidi una cum ipsa Galatia subditarum, enumeratur, diserte confirmant (2). Sed ex his titulis patet hanc provinciam ne finibus quidem regni Amyntæ, quamdiu latissime patuit, terminatam fuisse, et, primo post Christum sæculo, Galatiæ legatum toti fere regioni, quæ inter Sangarium, Taurum, Parthos, Armeniam Majorem et Pontum Euxinum concludebatur, imperitavisse, ita

(1) Hamilton, *Asia Minor*, II, Append., 178. Henzen, 6912.

(2) Vide titulos in honorem Cæsennii Galli et Bellicii Sollertis conscriptos. Hujus partem jam supra exscripsimus ; in illo fertur Cæsennius Gallus vias stravisse « provinciarum Galatiæ, Cappadociæ, Ponti, Pisidiæ, Paphlagoniæ, Lycaoniæ, Armeniæ Minoris. » Hamilton, II, Append., 139. Henzen, 6913. Cf. novum ejusdem præsidis monumentum quem primi juxta Ancyram exscripsimus, et quod missum a nobis Henzenius edidit (*Bullettino dell' Instit. archeol.*, 1862, p. 66). Nisi quod duobus annis recentius sit, eisdem verbis conceptus est titulus, eadem certe provinciarum nomina continet.

ut hujus peninsulæ, quam nunc Asiam Minorem dicimus, plus quam dimidiam partem regeret.

PAMPHYLIAM ipsam, licet editis Tauri jugis et arctis convallibus a Lycaoniæ et Galatiæ ὀροπεδίοις, ut aiebant Græci, divisa esset, Galatiæ legato aliquando creditam fuisse testantur et scriptores et tituli; magis enim exigua erat Pamphylia, inter montes et mare velut coarctata, quam quæ suum sibi præsidem haberet. Cum Lycia ergo conjungi solebat plerumque (1), nonnunquam autem cum Galatia. Galba, ut Tacitus narrat, « Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas permiserat (2). » Non semel hoc accidisse testatur titulus a Maffeio primum mendose editus (3), a Marinio correctus (4), quo laudatus est, Hadriano imperante, vir incerti nominis, « proc*urator* Lyc*aoniæ* (5), Pamp*hyliæ*, Galati*æ*, Paph*lagoniæ*, Pisidi*æ*, Ponti. » Procuratoris, qui apud legatum imperatoris quæstorio munere fungebatur, auctoritas eo plerumque perveniebat et

(1) *C. I. Gr.*, 4270, 4271, 4240, 3548, 3532, 4238[d]. Marini, *Atti*, n. LVIII. Gruter, p. 491, 12. Murat., 517, 3. Marini, *Atti*, n. LXI. Ruinart, *Acta Martyr.*, p. 479. Papinian., Dig., XXXI, 1, 77, § 20, « quæcunque mihi supersunt in Pamphylia Lycia. » *Cod. Theod.*, XIII, 10, l. 2.

(2) Tacit., *Hist.*, II, 9.

(3) *Galliæ antiquit. select.*, 240.

(4) Marini, *Atti*, p. 766.

(5) Quoties in his titulis, quæ ad Galatiæ seu præsides, seu procuratores spectant, notam LYC. invenias, Lycaoniam, non Lyciam supplere debes. Lycaonia enim Galatiæ constanter adhæret; Lycia autem ne semel quidem cum his provinciis, quæ citra Taurum sunt et editissimis montium jugis ab illa dividuntur, conjuncta fuit.

extendebatur quo ipsius legati imperium, iisdem finibus terminabatur.

Paphlagoniam non cum provincia Bithyno-Pontica conjunctam fuisse, ut vult Schoenemann (1), sed Galatiæ legato addictam fuisse testantur tituli, quos jam memoravi. A Paphlagonia autem, post devictum Mithridatem, divulsa fuerat omnis ora maritima, in undecim civitates divisa, et Bithyniæ rectori, sub Ponti nomine, assignata (2). Mediterranea autem Paphlagonia, circa Olgassum montem, principibus primum ex Pylæmene rege oriundis, mox variis tetrarchis a Romanis ducibus assignata (3), octodecim circiter annis postquam Romanus præses in Galatiam missus erat ab Augusto, et ipsa in provinciæ formam videtur redacta esse et Galatiæ deinceps fatum secuta, ita tamen ut pristinum nomen, antiquis fabulis et historiis consecratum, permaneret et aliquando in titulis recurreret (4).

Quod ad has Pontici regni partes quæ Ponti

(1) *De Bithynia et Ponto provincia Romana* (in-4°, Gottingæ, 1855), p. 3. Sententiam suam firmat testimonio Strabonis, apud quem nil tale invenias; Paphlagoniam mediterraneam, deficiente regum stirpe, et urbem Amasiam suo tempore imperio Romano adjunctas fuisse narrat Strabo (XII, 3, 39, 41); nequaquam autem dicit eas Bithyniæ provinciæ adjunctas fuisse. Nihilominus in eumdem errorem incidit Marquardt (*Handbuch der römischen Alterthümer*, Th. III, 147).

(2) Strabo, XII, 3, 1. In Amisi nummis comparet nomen C. Papirii Carbonis, qui primus, nostra quidem memoria, proconsul Bithyniam rexit (Eckhel, *D. N. V.*, II, p. 396).

(3) Strabo, XII, 3, 1, 41.

(4) Annos computant Gangra (Germanicopolis) et Andrapa (Neoclaudiopolis), sicut Amasia Pontica, ab anno V. C. 747=7 a. Chr. Eckhel, *D. N. V.*, II, p. 387, 389.

Galatici et Ponti Polemoniaci nomine designantur, non aliter se res habet. Pontum Galaticum appellat Ptolemæus hunc Ponti tractum qui Trocmis conterminus erat, totus fere mediterraneus (1), et post Mithridatis Eupatoris mortem in manus Galatarum tetrarcharum venit; Phazemonitidem continebat, campum Phanarœnsem, Themiscyra, Amasiam, Comana Pontica (2). Ex nummis Amasiæ patet eum anno a. Chr. 7 Romano nomini tributum fuisse (3). Pontus autem Polemoniacus ita dictus est a Polemone I, qui hoc regnum cum Bosporo ab Antonio acceperat et conjugi Pythodori, postea autem filio Polemoni II, habendum transmisit (4). Ponti Polemoniaci, ut ex Ptolemæo comperimus, ora maritima a Thermodontis fluvii ostiis incipit et ad urbem Cotyorum desinit (5). Quum autem narret Strabo Pythodorim, conjugem Polemonis, Chaldæos et Tibarenos, Trapezuntem et Pharnaceam,

(1) In titulo a Muratorio primum edito, p. 695, 2 (Henzen, n. 6940), distinguitur inter *Pontum et Bithyniam* et *Pontum mediterraneum*. Dubium non videtur quin Pontus mediterraneus sit illa Pontici regni pars quæ Pontum simul Galaticum et Pontum Polemoniacum complectebatur, maritimam autem urbem inclytam et opulentam fere nullam habebat, quum Pontus contra Bithynicus urbes contineret mercaturæ et negociatorum frequentia insignes, Amisum scilicet, Sinopem, Heracleam totusque fere ora maritima constaret.

(2) Ptolem., *Geogr.*, V, 6.

(3) Eckhel, *D. N. V.*, II, p. 34.

(4) Dio Cass., XLIX, 25. Plut., *Ant.*, 38. Strab., XI, 3, 18; XII, 3, 29, 31, 37, 38; XIV, 1, 24. Dio Cass., LIX, 12. Cf. Eckhel, *D. N. V.*, t. II, p. 391-354.

(5) *Geogr.*, V, 6.

sibi subditos habuisse (1), tractum illum littoris, quem Ponto Cappadocico, cujus nulla in titulis mentio, assignat Ptolemæus, Polemonis regno comprehensum fuisse censemus, et Pontum illum Polemoniacum, cujus meminerunt tituli Bellicii Sollertis et Cæsennii Galli memoriæ dicati, usque ad Cerasuntem certe et forsitan usque ad Trapezuntem patuisse. Siden, quæ postea Polemonium dicta fuit, Cotyorum, Pharnaceam complectebatur. Mediterranea autem regio urbes habebat Zelam, Neo-Cæsaream, Magnopolim, et alias complures ignobiles. Quum autem Pontici regni pars illa, quæ circa Sinopem et Amisum erat et antiquitus Paphlagoniæ accensebatur, cum Bithynia semper connecteretur, ut ex ipso provinciæ nomine et ex variis seu scriptorum locis seu titulis manifestum est (2), Pontum Galaticum et Pontum Polemoniacum exhibent nostri tituli a Galatiæ legato administratos (3). Conjecerunt viri docti e Ponto Polemoniaco et Galatico procuratoriam provinciam conflatam fuisse, cujus præses legato Galatiæ suppositus esset, ut Palestinæ procurator Syriæ legato. Rem vero absimilem esse non dixerim, quum eam innuere videantur tituli, sed nullo scriptorum loco adhuc confirmata est et extra dubita-

(1) Strab., XI, 3, 18.

(2) *C. I. Gr.*, 1720. Βειθυνία Πόντος. In latinis titulis vulgo scribitur Pontus et Bithynia. Strabo, XII, 3, 6 : Ἡ δὲ πόλις ἐστὶ τῆς Ποντικῆς ἐπαρχίας, τῆς συντεταγμένης τῇ Βιθυνίᾳ. Dio Cassius, LIII, 12, in provinciarum recensione : Βιθυνία μετὰ τοῦ προσκειμένου Πόντου.

(3) Henzen, 6812, 6813. *Bulletin de l'Institut archéol.*, 1862, p. 66.

tionem posita (1). Anno post Christum 63 in jus provinciæ Pontus Polemoniacus redactus est (2), quumque in duobus titulis circa hujus sæculi finem exaratis cum Lycaonia, Isauria, ceterisque provinciis Galatiæ constanter adhærentibus memoretur (3), verisimile est hoc certe tempore, Tito et Domitiano imperantibus, eum legato Augusti, qui

(1) Quod Marquardtus affert ut sententiam suam legentibus approbet, nullius ponderis est. Laudat enim hæc verba ex Capitolino (*in Maxim. et Balbinum*): « Nam et Asiam, et Africam, et Bithyniam, et Galatiam, et Pontum, et Thraciam, et Gallias civilibus administrationibus rexerat. » Senator erat Balbinus; nequaquam ergo procuratoriam provinciam regere poterat. Omnem difficultatem eximas si tantummodo virgulam tollas quam in editionibus per typos expressis post *Galatiam* invenias; non enim a manu scriptoris, sed a manu recentiorum hominum qui *Historiam Augustam* ediderunt, profecta est hæc virgula; quam si dempseris, habes unam provinciam, *Galatiam et Pontum,* quod optime conferas cum adjacentis provinciæ nomine, quæ sæpe dicitur provincia *Bithynia et Pontus,* aut simplicius *Bithynia Pontus.* Idem significare videtur titulus Ancyranus in honorem Julii Senecionis positus (Muratori, p. 907, 4) i qui quum dicatur, procurator Galatiæ, fuisse « vice præsidis ejusdem provinciæ et Ponti, » inde conjicias, tum quum titulus dicatus est, duos procuratores fuisse in vasta illa Galatiæ provincia, unum qui Galatiam proprie dictam, alterum qui Pontum administraret. Mortuo aut absente legato, regendam provinciam, vice legati, suscipit ille inter procuratores qui eam sibi provinciæ partem habet in qua commorari solet legatus, in qua est metropolis totius regionis. Esse inter procuratores unius provinciæ quemdam quasi ordinem, et rem ita se habuisse quum legati partes gerendæ essent, aliarum provinciarum, et inprimis Daciæ exemplo demonstratum est. Quod attinet ad Capitolini de Balbino verba, eum Asiam aliasque provincias *civilibus administrationibus* rexisse, intelligendum est eum provinciis præpositum fuisse quæ solerent legionibus carere, quæ bello fere nunquam vexarentur, quam interpretationem confirmant provinciarum, quibus præfuerat Balbinus, ipsa nomina.

(2) Suet., *Ner.,* 18. Vopisc., *Aurel.*, 21. Eutrop., VII, 14, Aurel. Vict., *Cæsar,* 5, 2. *Epit.* 5, 4. Euseb., *Chronic.*, p. 161. De Epocha urbium Ponti Polemoniaci, Neo-Cæsareæ, Zelæ, Trapezuntis, quæ ab hoc anno incipit, vide Eckhelium, *D. N. V.*, II, p. 356, 358, 359.

(3) Vide p. 47 notulam 3, p. 48, n. 2

Galatiam regebat, addictum et subditum fuisse.

Ponto contermina erat regio illa cujus rex fuerat, ut diximus, a senatu appellatus Dejotarus, nempe ARMENIA MINOR. Hoc nomine tunc temporis vocabatur pars Armeniæ quæ in dextra Euphratis ripa extendebatur; Anti-Tauri utrumque latus et superiorem Halyos vallem cum urbibus Sebastia (hodie *Siwas*) et Nicopoli continebat (1). Armeniæ Minori adjuncta erat regio Melitene (hodie *Malatia*), quam in Cappadocia Strabo collocat (2). Hanc Armeniam Minorem, cujus bona pars nudis montium jugis constabat, nive multos menses oppletis, regibus usque ad Vespasiani tempora paruit. Habuerunt hoc regnum post Dejotarum Polemo (3), Archelaüs uxore ducta Polemonis conjuge (4), Cotys, cui a Caligula (5), Aristobulus, cui a Nerone dono datum fuit (6), donec Vespasianus, cui displicebant, ut videtur, vana hæc omnia et mendacia liberorum populorum et regum sociorum nomina, in provinciæ formam redigeret et Romanis præsidibus subderet quidquid jam diu fuerat in manu et potestate Romanorum. Sub primis imperatoribus, dum alius in alius locum succederent reguli impe-

(1) Ptolem., V, 6. Strabo, XII, 3, 18; 28; 29; XIV, 5, 24.
(2) Ptolem., V, 6. Strabo, XII, 1, 2, 4; 2, 1.
(3) Dio Cass., XLIX, 33.
(4) Strab., XII, 3, 29. Dio Cass., LIV, 9
(5) Dio Cass., LIX, 12.
(6) Joseph., *Ant. Jud.*, XX, 8, 4; Tac., *Ann.*, XIII, 7.

ratoris nutum pavidi et anxii circumspectantes, si quid erat illos jubendum, si in regnum deducendus aut Romam arcessendus erat aliquis ex his Minoris Armeniæ principibus, Galatiæ legatus, conterminis provinciis præpositus, Cæsaris mandata perferenda curabat, et, si necesse erat, exsequebatur; parum enim auctoritatis aut dignitatis erat in equite Romano qui Cappadociæ, ex quo regnari desierat, præerat (1). Quum Romano nomini tributa est Armenia Minor, non nova ex ea provincia conflata est, quippe quæ non satis late pateret, paucissimas urbes haberet et a populo artium rudi perque montes et pascua laxe disperso incoleretur, sed vicinæ provinciæ legato, qui his annis Galatiam sæpe cum Cappadocia regebat, attributa est (2). Etiam quum Cappadocia a Galatia disjuncta esset et utraque provincia suum sibi rectorem haberet, videtur Armenia Minor non semper Cappadociæ, ut autumat Marquardtus, sed aliquando certe Galatiæ annexa fuisse. Videtur enim Bellicius Sollers, qui sub finem Domitiani Galatiæ præfuit, Cappadociam non obtinuisse; inter provincias, quas regit, Armeniæ tamen Minoris fit mentio (3). Idem possemus conjicere et ex his quæ de *Legione XII Fulminata* memoriæ tradita sunt. Cons-

(1) Sueton., *Vespasi*, 8. Tacit., *Hist.*, II, 81.

(2) Et M. Neratius Pansa et Cæsennius Gallus, Vespasiano, Tito, Domitiano imperantibus, simul Cappadociæ et Galatiæ præfuere.

(3) Henzen, 6912.

tat eam ad Euphratem, in regione Melitena, inde a fine Judaici belli castra stativa habuisse (1), in nummo autem Ancyrano, quod Caracalla imperante signatum est, nomen legionis XII comparet, quum in nummo Hadriani Cæsareæ in Cappadocia cuso ad eamdem legionem alludatur (2). Inde, ut videtur, jure conjicias Armeniam Minorem et legionem quæ ibi commorari solebat aliquando sub Galatiæ, aliquando sub Cappadociæ legato positas fuisse.

Interdum etiam, sub finem primi p. Chr. sæculi, Cappadocia ipsa cum Galatia conjuncta fuit; qua de re quum sileant scriptores, unum eumdemque legatum Cappadociæ simul et Galatiæ non semel præfuisse testantur et tituli et nummi. Cappadociam constat Tiberio imperante in jus provinciæ redactam et equiti Romano assignatam fuisse (3); quum autem in eam provinciam, Parthorum imperio et Armeniæ Majori confinem, assidue barbari incurrerent et prædas ex agris agerent, Vespasianus,

(1) Joseph., *Bell. Jud.*, VII, 1, 3. Arrian., *Acies contra Alan.*, 6, 15, 24. Cassius Dio, LV, 23. *Notitia dignit. in part. Orient.*, XXXV. Procop., *De ædif.*, I, 7.

(2) Sestini, *Lettere numismatiche*, VI, p. 7, 72. Mionnet, *Descr. de med. ant.*, Supplément, VII, p. 637,

(3) Dio Cass., LVIII, 17. Tac., *Ann.*, II, 42. Quum Tacitus (*Ann.*, II, 42) scribat: « Et Cappadoces, in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere, » sine dubio legatus ille erat extra ordinem ad componendam novam provinciam missus. Dicere non possumus Tacitum, dum scit ætate sua Cappadociam ab imperatore per legatos consulares administrari, morem hunc superioribus Cæsaribus imprudentem attribuisse, et, quum procuratorem Veranium dicere deberet, legatum dixisse; senator enim erat, non eques Q. Veranius, quum anno 49 consul fuerit.

secundum Suetonium, « Cappadociæ legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano (1). »

Consularis illius rectoris nomen quidem apud scriptores non invenimus; non tamen, ut doctissimo viro, horum studiorum duci et magistro, Eckhelio nempe, visum est, a vero aberrabimus si eum censemus hunc M. Neratium Pansam fuisse cujus nomen in satis multis æreis nummis comparet partim Cæsareæ, partim Ancyræ signatis, Vespasiano imperante (2). Ex his nummis, in duabus provinciis unius et ejusdem præsidis nomen eodem tempore ferentibus, jam suspicatus erat Eckhelius Cappadociam et Galatiam hac ætate aliquando conjunctas fuisse, quam suspicionem ratam fecerunt duo illi tituli in honorem A. Cæsennii Galli exarati, quorum alterum Hamiltonius exscripsit, alterum nos nuper ex Ancyra retulimus (3). Quod si quis quærit unde hæc nummorum Neratii nomine signatorum frequentia, unde hæc Galatiæ et Cappadociæ sub uno rectore conjunctio, si non certa, at probabilia saltem afferemus. Quum Vespasiano, ne amplius per ὀροπέδια Cappadociæ et Galatiæ barbarorum equitatus

(1) Sueton., *Vespas.*, 8. Cf. Tacit., *Hist.*, II, 81.

(2) Borghesi, *Inscriz. di Sepino* (*Annali dell' Instituto Archeol.*, 1842, p. 8. Mionnet, t. IV, p. 377, n. 16 et p. 441, n. 29. *Suppl.*, t. VII, p. 663, nn. 27 et 28. Sestini, *Lettere di continuazione*, t. IV, p. 94, n. 2, n. 3.

(3) Hamilton., *Asia Minor*, II. *Append.*, n. 139. *Bulletin de l'Inst. archéol.*, 1862, p. 66.

irrueret et prædabundus excurreret, placuit exercitum ibi constituere, utile illi visum est in ejusdem ducis manu esse et ejusdem imperia exspectare et exsequi omnes copias quæ, a Ponti Euxini littore usque ad Tauri montis verticem, a Colchide usque ad Syriam, præsidio positæ, Romanos limites contra Iberos, Armenos, Parthos protegerent, viamque invadentibus in provincias tempestivo armorum objectu occluderent. Ita subitis necessitatibus citius occurreretur, et uni legato incumberet onus quod forsan non sine periculo inter duos divideretur, si non arcta esset inter Cappadociæ et Galatiæ legatos concordia, nec alter cum altero assidue consilia communicaret. Ille vero, qui primus Cappadociam et Galatiam cum exercitu ampliore accepit, iis quos excipiebat, præsidibus dignitate et potentia longe præstabat, quum Galatiam sub primis imperatoribus prætorii tantum legati obtinuissent, Cappadociam procuratores. Inde novo præsidi, consulari legato, major honos habitus, et nummi illi ab Ancyranis simul et Cæsarianis monetariis cusi et per totam late regionem diffusi, rectoris hujus, cui dimidia fere Asia parebat, nomine inscripti.

Tum ex titulis, tum ex nummis, comprobatum est hunc statum rerum inde a fine Vespasiani usque ad primos Trajani annos fere semper duravisse, ita ut sub Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, M. Neratius Pansa, A. Cæsennius Gallus, T. Pomponius

Bassus (1) Cappadociam cum Galatia conjunxerint. Post T. Pomponium Bassum, qui tertio Trajani anno has provincias adhuc obtinebat, nullum aliud exemplum tale reperitur, et suum cuique semper rectorem habuisse Galatia et Cappadocia videntur, hac tamen conditione ut Galatiæ potius quam Cappadociæ adhærere perseverarent omnes illæ minores provinciæ, Lycaonia, Pisidia, Isauria, Pontus Galaticus et Polemoniacus, quas a principio Galatiæ legato subjectas fuisse vidimus (2).

Si facile perspeximus qua mente Vespasianus et qui illum exceperunt imperatores omnes provincias quæ ultra Halym essent, omnes legiones, omnia auxilia, quæ hoc imperii latus custodirent, unius dicto audire voluerint, non minus liquet quam ob causam iterum immutatus hic ordo fuerit et a Trajano deinceps suum sibi Cappadocia, suum sibi Galatia legatum habuerit. Ille Asiæ tractus, super quem extendebatur Neratii Pansæ, Cæsennii Galli, Pom-

(1) De T. Pomponii Bassi nomine tum in Galatiæ, tum in Cappadociæ nummis inscripto, vide Eckhel, D. N. V., III, p. 190; Mionnet, *Suppl.*, VII, p. 665. Titulum ejus nuper ad oppidulum *Kaledjik* in Galatia situm descripsimus, et edidit, ex apographo a nobis misso, Henzenius (*Bulletin de l'Institut*, 1862, p. 68). Disceremus ex hoc titulo, si non aliunde resciremus, Bassum Galatiæ præfuisse, quum locus, ubi hodie Kaledjik oppidulum situm est, fuerit olim sine dubio intra fines Galatiæ provinciæ conclusus.

(2) Post Trajanum, et nummi et tituli demonstrant disjectas fuisse nec iterum coaluisse Galatiam et Cappadociam. Nec enim exhibent nummi alios præsides quorum nomen simul in Cappadocico et Galatico ære compareat, nec a titulis Cappadociæ legatis Galatia, Galatiæ legatis Cappadocia assignatur. De Cappadociæ legatis vide Henzen, 5480, 6049, 6484. *C. I. Gr.*, 3532, 3548.

ponii Bassi imperium, latius patebat, plures urbes et populos, longis locorum intervallis et silvarum montiumque objicibus discretos complectebatur, quam ut eos omnes unus vir commode regeret, et, ubicunque hostis fines Romanos, a Colchide ad Syriam porrectos, lacesseret, subito mente, consilio, jussis, adesset, vel, si res postularet, præsidia deducturus advolaret. Si legatus imperatoris Cæsareæ commorabatur, ut propior Parthis esset, necesse erat ejus partes in Galatiæ, Lycaoniæ, Isauriæ et Pisidiæ conventibus tuerentur aut legati legionum quæ forte in provincia militabant, aut unus e procuratoribus qui diverso nomine reditus provinciæ colligebant (1). Provinciæ enim illæ occiduæ ditiores

(1) Notavit Henzenius aliquando in titulis occurrere (Orelli, 5172, 5449), legatos provinciarum, qui non proprie legati imperatoris essent et provinciæ præpositi, sed qui vice legatorum extra ordinem provincialia negotia administrarent. Quum autem perraro hi legatorum velut legati nobis in titulis obvii sint (duo tantum ad hunc diem inventi sunt), non liquet quibus in provinciis, quo tempore, quibus necessitatibus compulsi præsides suam potestatem ita interdum delegaverint. Earum legationum utilitatem et officia jure contulerimus cum munere *legatorum juridicorum* (Henzen, 6847, 7420, 6488, 6489, 1178, 6400, etc.), quos tamen in Hispania tantum et Britannia invenimus. Sed quum *legati juridici* ordinario munere fungerentur, et alius alium præfinito tempore exciperet, legatos illos legatorum non nisi per intervalla, quum res et tempus postularent, adscitos fuisse dicas. Censet Renierus illum qui tunc in imperii communionem advocaretur non alium fuisse quam legatum aliquem legionis quæ esset in provincia. Si legatus imperatoris aut bello aliquo aut negotio difficili et impedito in angulo quodam provinciæ detineretur, si graviter ægrotaret, si morte interciperetur subito, ejus vices agebat, sive in parte provinciæ, sive, post legati funus, in tota provincia, nunc procurator vice præsidis dictus, nunc unus e legatis legionum, quæ fines provinciæ tutabantur. Erant inter provincias quæ, dum bello fere perpetuo vexarentur, non poterant, vel per aliquot menses, commode a procuratore regi, qui exercitum non du-

erant quam Cappadocia, pluribus colonis et negotiatoribus frequentes, ad urbanæ et humanioris vitæ morem jam diu magis assuefactæ. Cappadocia enim, antequam fieret provincia Romanorum, aliam fere nullam urbem habebat præter Mazacam, quæ a Tiberio nomen Cæsaream accepit.

Inde igitur a Trajano deinceps Asiæ pars posterior, Asia quæ ultra Sangarium erat, inter Taurum et Euxinum mare, inter duos Cæsaris legatos dividitur, legatum Galatiæ et legatum Cappadociæ, hunc consularem, illum prætorium, quorum alter, Cappadociæ nempe præses, provinciam regens Armeniæ et Parthorum finibus conterminam, plures copias in manu habebat et sæpius rem militarem gerebat; alter, Galatiæ legatus, urbes et populos moderabatur, si non claritudine et opulentia Asiæ proconsularis civitatibus pares, at longa tamen pace, agris colendis et mercaturis ditatos, omni genere ædificiorum oppida sua lauta exornantes. Videntur sub Galatiæ legato mansisse usque ad Diocletiani tempora Pisidia, Phygia Parorea, Isauria, Lycaonia, Pontus Polemoniacus, Pontus Galaticus, Paphlagonia, quum Armenia Minor, postquam Cappadociæ rector consularis fuerit additus, potius Cappadociæ adhæserit.

Quum Diocletianus et post illum Constantius in partes et velut in frusta diviserunt magnas illas

ceret; legatus autem legionis, quum esset *vir prætorius,* simul et juri dicendo et exercitui regendo par erat.

provincias quæ extremis reipublicæ liberæ temporibus aut imperantibus Cæsaribus primi et secundi post Christum sæculi constitutæ fuerant, e vasta regione legato Galatiæ subjecta plures provinciæ exstiterunt. In omnibus monumentis Diocletiano recentioribus, sive *Libelli provinciarum*, sive *Notitia dignitatum* dicantur (1), nobis occurrunt provinciæ Pisidia, Lycaonia, Isauria, Pontus Polemoniacus, Diospontus (Pontus Amasia, Helenopontus), Paphlagonia (2). Quod ad hanc Phrygiæ partem quæ olim Galatiæ subjecta fuerat, tunc, etiam cum urbe Apamea, in Pisidiam mersa est. Quod ad Galatiam proprie dictam, in libello provinciarum quem circa annum 385 vel 386 Polemius Silvius conscripsit, sicut in libello circa finem tertii sæculi composito, unam tantum Galatiam reperimus (3); paulo

(1) Omnium hujus generis libellorum vetustissimum fuisse demonstravit Mommsenius quem primus ad codicem emendavit, in dissertatione quæ inscripta est: *Verzeichniss der römischen Provinzen, aufgesetzt um* 297 (aus den Abhandlungen der königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, 1862). Libellum cui Polemii Silvii nomen inscribitur, anno 385 aut 386 scriptum esse opinatur; *Notitiam dignitatum* quindecim circiter annis serius concinnatam esse censet Böcking, inter annos 400 et 405. Hieroclis Συνέκδημον initio demum sexti sæculi compositum fuisse credunt qui ei libro edendo operam dederunt.

(2) Quum ceteræ provinciæ, quarum nomen hic attulimus, jam in vetustissimo libello, ante finem tertii sæculi conscripto, omnes compareant, Lycaoniæ solius mentio non fit. Nomen librarii vitio excidisse crederes, nisi ex sancti Basilii epistola manifestum esset eam, antea, inde a Diocletiano, Pisidiæ annexam, paucis tantum annis ante annum 373 separatam provinciam effecisse, cujus metropolis esset Iconium. Basilius, *Epist.*, 138 (8), anno 373: Ἰκόνιον πόλις ἐστὶ τῆς Πισιδίας τὸ μὲν παλαιὸν μετὰ τὴν μεγίστην ἡ πρώτη, νῦν δὲ καὶ αὐτὴ προκάθηται μέρους, ὅ ἐκ δαφόρων κτημάτων συναχθὲν ἐπαρχίας ἰδίας οἰκονομίαν ἐδέξατο.

(3) De libello quem Polemius Silvius conscripsit, vide (*Revue archéo-*

post in duas provincias divisa fuit Galatia, quum in *Notitia dignitatum,* quæ circa initium quinti post Christum sæculi disposita et edita fuisse censetur, duas Galatias inveniamus, GALATIAM PRIMAM, et GALATIAM SECUNDAM, quæ SALUTARIS dicebatur. Galatiæ primæ caput Ancyra erat, Galatiæ Salutaris Pessinus (1). Si Malalæ credimus, Galatiam in duas provincias Theodosius I scidit (2); quum vero Malalas longe a tempore Theodosii absit, omniaque apud eum permixta et male digesta sint, ejus verba quidquam auctoritatis habere denegat Mommsen et duas Galatias ab Eutropio, Arcadii ministro, potius constitutas fuisse opinatur (3). Ex æqualium enim testimoniis discimus Eutropium, inter annos 395 et 399, id egisse in toto imperio ut provincias omnes, quæ divisionem quodam modo admitterent, in partes scinderet, hac arte officia multiplicaturus, quæ velut sub hasta divenderet, atque ex provincialibus per plures judices et præsides graviora tributa et majorem pecuniæ vim expressurus (4).

logique, n. s. t. VI, p. 377) e Germanico in Gallicum sermonem conversam Mommsenii dissertationem sub titulo : *Mémoires sur les provinces romaines et sur les listes qui nous en sont parvenues*, etc. Première partie : *Mémoire sur la liste de Polemius Silvius*. Ibid., c. VII, notandum est unam tantum Galatiam nominari.

(1) *Notitia dignitatum,* I, p. 5, et Böcking, p. 132; p. 7 et Böcking, p. 150. Cf. Hierocles, *Synecdemus*, p. 396, 19, ed. Bonn.

(2) Malalas, XIII, p. 348, Bonn.

(3) V. *Revue archéologique,* l. l., p. 392, et notam 4.

(4) Claudian., *in Eutropium,* II, v. 585.

In eo rerum statu cujus fidam et accurate delineatam imaginem nobis exhibet *Notitia dignitatum*, Galatiam primam regit *consularis* (1), Galatiam secundam aut Salutarem (2), Lycaoniam, cui metropolis Iconium (3), Pisidiam, quæ urbes habet Antiochiam, Apameam, Philomelium, Sagalassum, regunt *præsides* (4), Isauriam, *comes rei militaris* (5), Helenopontum, Pontum Polemoniacum, *præsides* (6), Paphlagoniam, *corrector* (7). Nec solum veteres legatorum tituli evanuere, et nova magnam partem nomina in locum veterum nominum, quæ multorum sæculorum usu consecrata fuerant, irrepsere, sed provinciæ et gentes, aliæ aliis conterminæ, contiguitate, consanguinitate, antiquorum fœderum memoria et communis vitæ vinculis consociatæ, diversum velut abierunt, inter varias Orientis diœceses ad arbitrium Imperatoris divisæ. Exempli gratia, Isauria cum Syriæ et Euphratis provinciis juncta, *comiti Orientis* assignatur (8); diœcesi Asiana comprehenduntur Lycaonia et Pisidia (9), *Pontica* Paphlagonia, Galatia I et Galatia

(1) *Notit. dignit.* (ed. Böcking), I, p. 5.
(2) *Notit. dign.*, I, p. 7, et Böcking, p. 142.
(3) Ibid., p. 6. Hierocles (p. 696) et Lycaoniæ et Pisidiæ consularem rectorem assignat.
(4) *Notit. dign.*, I, p. 6. Hierocles, p. 394, 24.
(5) *Notit. dign.*, I, 70.
(6) Ibid., p. 7.
(7) Ibid., p. 8.
(8) Ibid., I, p. 56.
(9) Ibid., p. 59.

Salutaris, Helenopontus, Pontus Polemoniacus (1). Tota hæc nova provinciarum divisio, quum auctoritatem inter manus plures dispertiret, quum veterum rerum memoriam obliteraret, et gentes quondam consociatas subitis decretis disjungeret, aliquid forsan addidit, aut, nisi barbari ingruissent et omnia permiscuissent, additura erat potentiæ imperatorum; imperium autem, ut mihi videtur, debilitavit, quum laborantem undique Romani orbis compagem partesque alias aliis in diem minus adhærentes sustinere non valerent manus infirmiores factæ præsidum, qui parum dignitatis habebant et auctoritatis, quippe qui paucas urbes regerent paucasque copias ducerent et non nisi de rebus pauci momenti judicium ferre possent et ex animi sententia decernere. Adde cives tot urbium, dum novis et antehac ignotis oneribus gravarentur, quum alere deberent quotidie increscentem numerum omnis generis et nominis magistratuum, correctores, judices, comites, duces, præsides, consulares, et alios plurimos quorum conditionem et jura recensere longum est, jam sub tanto pondere quasi effetos labare, nec nisi durissimis legibus velut captivos et servos in urbibus retineri, et animum despondere, antea victos, quam ignem et scalas mœnibus barbari admovissent.

(1) *Notit. dign.*, I, p. 61.

CAPUT III.

STATUS ET ADMINISTRATIO PROVINCIAE GALATIAE.

Duobus annis antequam Galatia in Romanæ provinciæ formam redigeretur, Augustus inter se et populum, ut aiunt, provincias Romanas partitus erat, ita ut provinciæ recens imperio adjunctæ et quibus legiones opus essent imperatori reservarentur, quæ contra jamdiu pacatæ et quietæ erant per proconsules regerentur, quos ad sortiendas provincias senatus sueto more ex iis nominabat, qui quinque jam annos ante hoc sortitionis tempus consulatu vel prætura functi erant, ut jam lex Pompeia constituerat (1). Ut omnes provinciæ, quæ nomini Romano non ante adjectæ sunt quam hic rerum ordo invaluisset, sic Galatia quoque non senatui et populo Romano, sed principi assignata est.

(1) De hac provinciarum divisione, quæ ad annum A. Chr. 27, U. C. 727, pertinet, vide quæ memorant Suetonius, *Octav.*, 47; Strabo, XVII, 3, 25; Dio Cassius, LII, 12 et seqq.

Provinciarum, quarum curam sibi Augustus assumpserat, quam plurimas per legatos, quasdam, quæ angustiores erant nec magni momenti, per procuratores regebat. Legati omnes, qui majoribus provinciis præpositi erant, audiebant *legati Augusti pro prætore;* princeps harum omnium provinciarum, quas sibi attribuerat, proconsul perpetuus, cum legatis suis, quos ipse deligebat, imperium suum totamque ejus vim et auctoritatem communicabat. Prout autem provincia plus minusve dignationis haberet et rectorem posceret in rerum civilium et militarium administratione plus minusve versatum et exercitatum, legatus inter consulares aut inter prætorios eligebatur, non ad arbitrium principis et secundum horæ præsentis necessitatem, sed ita ut prætorius prætorium, consularis legatus consularem exciperet, eademque provincia semper legatum ejusdem ordinis haberet. Quod si aliqua causa obveniret cur hic ordo mutaretur, ut aliquando factum est, nova series incipiebat, post legatos e prætoriis desumptos, legatorum e consularibus selectorum.

Galatia prætoriis legatis commissa fuit. Primus enim, post Amyntæ mortem, in Galatiam missus fuit cum imperio M. Lollius M. filius, qui anno demum 21 A. Chr. consul factus est (1). Quod

(1) De Galatia in provinciæ formam redacta vide Dionem, LIII, 26; Strabonem, XII, 5, qui de nomine primi legati Galatiæ reticent. Nomen

ad exemplum, quam ad normam provinciæ statum, leges, instituta ordinaverit, prorsus ignoramus; inde autem patet eum hanc rem strenue et graviter gessisse, primum quod quatuor annis post hanc legationem consulatum adeptus est, deinde quod viginti post annis (1 A. Chr.), datus est rector C. Cæsari in Orientem misso, quam curam nemo credet ab Augusto permissam esse nisi viro rerum Orientis usu gnaro quique in iis ipsis locis, felici cum eventu, provinciam bene et feliciter administravisset, regumque, tetrarcharum et populorum voluntates conciliavisset imperio populi Romani. Lollio enim, quum

Lollii invenias apud Sex. Rufum (*Breviarium rerum gestarum populi Romani*), *M. Lollii* apud Eutropium (VII, 5).

Prænomen *Marcum* invenimus in titulo pontis Fabricii (Orelli, p. 50 et *C. I. L.*, t. I, p. 174, n. 600), quo demonstratur hoc prænomine usum consulem anni 21 A. Chr. Idem prænomen esse Lollii, qui comes datus fuit C. Cæsari testantur Tacitus, *Ann.*, III, 48; Suetonius, *Tib.* 12; Plin. IX, 58; Velleius, II, 102. Idem prænomen attribuit Eutropius (VII, 5) primo præsidi Galatiæ, unde conjicias eum non differre a consule anni 21 et a rectore C. Cæsaris, qua de re jam certiores fiemus si reputaverimus M. Lollium, qui vastam hanc Galatiæ provinciam superstitibus Asiæ regnis conterminam primus ordinaverit, fuisse aptum ad id ut C. Cæsarem, adhuc adolescentem in hæc Asiæ negotia immissum, regeret et utiliter moneret. Rem attente perpendenti videbitur manifestum hanc ipsam Galatiæ ordinationem fuisse in causa cur Augustus M. Lollium filio suo in eamdem prope regionem pergenti comitem et rectorem adderet. Quod prædicat Borghesius (*Œuvres*, t. II, p. 399) Eckhelium de prænomine primi Galatiæ præsidis omnem dubitationem sibi exempturum fuisse, si in titulum, qui Ancyræ repertus est, inspexisset, aliquis certe hic error latitat; nullus est, nec Græce, nec Latine scriptus titulus Ancyranus qui M. Lollii ullam mentionem faciat. Error autem non a Borghesio, sed a Chishullio profectus est (*Antiquitates Asiaticæ*, p. 169), qui in titulo quem habes in *Corpore Inscriptionum* sub numero 4039, ad versum 12, restituerat ΕΠΙΜΛΟΛΛΙΟΥΠΥΛΑΙΜΕΝΗΣ; hanc conjecturam jure improbavit Franzius.

C. Cæsarem comitaretur per provinciam hanc, quam viginti ante annis rexerat, iter faciendum fuit, hæ urbes fuerunt adeundæ, quæ eum forsan, ut sæpe fieri solebat, primum provinciæ præsidem, patronum sibi elegerant seque ejus clientelæ inseruerant.

Quum Lollius inter amicos Horatii fuerit (1), Augustusque eum, cui nepotem commendabat, magni fecisse videatur, non sine admiratione discimus eum, in hoc officio defunctum, famam post se reliquisse mortis voluntariæ, ideo properatæ ut conscientiam rei male gestæ effugeret et anteveniret iram C. Cæsaris. Eum fuisse ab Orientis regibus per munera corruptum et nescio quæ turbida consilia cum Parthis agitasse et novis rebus studuisse narrabant (2). Falsa hæc an vera sint, ipsis historicis non constat; hoc autem conjectura assequi licet, si, quum M. Lollius legatus pro prætore primum in Galatiam post Amyntæ mortem missus fuit, provinciam male habuisset, non futurum fuisse ut Augustus eum ad consulatum promoveret, eumque postea inter primores civitatis unum ex omnibus eligeret cui filium suum, negotiorum adhuc rudem et ingenii sui periculum publice facientem, committeret et crederet. Verisimile est Lollium, impigrum hominem et tanto oneri parem, non nisi

(1) Horat., *Carmin.*, IV, 9.
(2) Plin., *H. N.*, IX, 58. Vellei., II, 102.

extremis vitæ annis et in hac ultima legatione vitia, quæ diu occultaverat, tandem, ad hunc honoris gradum principis favore evectum et fortuna velut ebrium, aperte declaravisse avidoque et impotenti animo frenos laxavisse.

An, quum M. Lollius Galatiam adjacentesque regiones in unum corpus unamque provinciam Augusti jussu constituit, milites secum adduxerit gentemque aliquam Romanis armis resistentem bello domuerit, memoriæ non traditum est; quum autem Amyntas gentium, quæ in hac regione ferocissimæ erant et prædatoriæ vitæ maxime addictæ, opes fregisset et castella expugnasset, quum, sub primis Cæsaribus, videamus regulos Paphlagoniæ, Ponti, Armeniæ Minoris, Cappadociæ, ad imperatoris Romani nutum nunc regnum obtinere, nunc de regno decedere, populosque dociles et mutos nec venientium, nec abeuntium rationem habere parumque, ut videtur, curare cujus in manu sint, probabile est Galatiam Amyntam mortuum fere non sensisse nec fuisse urbem aut gentem quæ Romano legato obniteretur nec nisi bello coacta pareret. Illi etiam qui perpetua et felicia adversus reges certamina sustinuerant, ut Selgenses, quique nunquam, ne Alexandro quidem Asiam invadente, sub aliis fuerant, in subditorum numerum venere, non ausi adversus legiones, quæ jam omnes Asiæ aditus insederant, virium suarum et mœnium, quibus ad

hanc diem fisi erant, periculum facere. Quantum ex Strabonis verbis intelligimus, Selge Amyntæi regni finibus inclusa non fuerat, nec ab illo petita et tentata; nihilominus tamen, cum tota Pisidia, provincia comprehensa est quæ ex Amyntæ regno conflata fuit (1).

Una tantum fuit gens, in finibus Galatiæ, quæ Romana arma lacessendo in se convertit, nec nisi victa cæsaque ipsa jam quievit provinciamque Romanam quiescere est passa, Homonadenses dico, qui regem Amyntam, quo tempore jam eorum regione fere tota potiebatur, occiderant insidiis deprehensum. Inter Pisidiam et Isauriam siti, montium altitudine et aviis vallium angustiis defensi, inde, ut videtur, hac victoria ferociores facti, in campos subjacentes, in Pisidiam, Isauriam, Lycaoniam invadebant, fruges et captivos abducebant, totamque provinciam infestabant (2). Non poterant diutius hoc tolerare Romani, qui domitis terrarum orbis gentibus, quas libertate privaverant, quibus tributa imposuerant, pacem certe et secura otia debebant. Ut ex paucis Strabonis Tacitique verbis discimus, Homonadenses L. Sulpicius Quirinius « fame expugnavit, quatuor millia virorum cepit vivos inque vicinis collocavit urbibus, regione

(1) Strabo, XII, 7, 3. Διὰ δὲ τὴν ἐρυμνότητα οὐδ' ἅπαξ οἱ Σελγεῖς ἐπ' ἄλλοις ἐγένοντο....... νῦν δὲ ὑπήκοοι τελέως γεγόνασι.

(2) Strabo, XII, 6, 5.

vacua hominum vigentis ævi relicta (1). » Brevius Tacitus : « consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus (2). » In suo *de P. Sulpicii Quirinii titulo Tiburtino* excursu ostendit Mommsen hanc victoriam pertinere ad annum A. Chr. 3 aut 2, quo tempore primum Syriæ præesset Quirinius, quem bis ejus provinciæ legatum fuisse testatur titulus ille Tiburtinus, ita restitutus a Mommsenio ut de nulla ejus fere parte jam dubitari possit, et manifestum fiat in eo victos Homonadenses commemorari :

. . . .

bellum gessit cum gente homonaden-
sium quae interfecerat amyntam
*r*EGEM·QVA·REDACTA·IN·POT*estatem dicionemque divi*
AVGVSTI·POPVLIQVE·ROMANI·SENATV*s dis immortalibus*
SVPPLICATIONES·BINAS·OB·RES·PROSP*ere ab eo gestas et*
IPSI·ORNAMENTA·TRIVMPHALIA *decrevit* (3).

Optimis argumentis demonstrat Mommsen ex Syria Quirinium Homonadensibus bellum intulisse, quum teste Tacito Quirinius hoc bellum gesserit consularis, prætoriæque tunc temporis fuerint Pamphylia et Galatia. Fuisse præterea

(1) Strabo, XII, 6, 5.
(2) *Ann.*, III, 48.
(3) *Res gestæ divi Augusti*, p. 118. Totum titulum restitutum videas p. 126.

legiones in his provinciis hac tempestate non audimus; quod ad Asiam attinet, omni tempore, ut constat, fuit inermis. Ciliciam autem cum provincia Syria circa hæc tempora conjunctam fuisse admodum probabile videtur. « Ita, » ut ait auctor gravissimus, « delabimur ad provinciam Syriam et armatam et consularem et inter armatas consularesque omnium maxime vicinam (1). » Annotat Mommsen expeditionem adversus Clitas in Cilicia aspera simillimam Homonadensi bis annis P. Chr. 36 et 52 suscepisse Syriæ qui eo tempore præfuerunt legatos (2).

Quirinii igitur, quamvis proprie Galatiæ nunquam præpositus fuerit, facienda erat mentio, quippe qui opus absolverit quod imperfectum reliquerat Amyntas, Taurique castellis ad unum expugnatis et dirutis, horum montium fauces libero tandem commercio commeantium ad mare aut a mari ad mediterraneam regionem aperuerit, fueritque in causa, cur jam paci diuturnæ et securitati per Romanos partæ fiderent gentes eæ quæ sub Galatiæ legato erant. Ex his aliisque id genus expeditionibus quantum fructum perceperint, per totam provinciam, mercatores et coloni, quam grato animo se omni prædonum periculo et metu liberatos in posterum senserint, facile nobismet ipsis in

(1) Ibid., p. 121.
(2) Tacit., *Ann.*, VI, 41. XII, 55.

mentem inducimus, et pluribus indiciis confirmatur. Ex nummis enim et ex titulis apparet tres populos Galatarum nomini suo nomen Σεβαστηνούς id est *Augustales* addidisse, quo melius erga principem pacis in orbe et in Asia præsertim, tot jam annos omni genere malorum laboranti, restitutorem et stabilitorem, reverentiam et amorem suum declararent (1). Idem significare, eodem tendere videntur sumptus quos fecere tres Galatiæ populi ut templum, et veteri Galatarum fama et imperatoria majestate dignum consecrarent DIVO AUGUSTO ET DEAE ROMAE (Θεῷ Σεβαστῷ καὶ θεᾷ Ῥώμῃ) (2). Ex ruderibus hujus templi, quæ Ancyræ, ad ædes Musulmanicas *Hadji-Beïram* dictas etiamnunc exstant, facile cognosci-

(1) *C. I. Gr.*, 4010. Σεβαστηνοὶ Τεκτόσαγες. Cf. Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 179.

Σεβαστηνοὶ Τρόκμοι. Mionnet, t. IV, p. 402, n. 171. *Supplem.* VII, p. 681-653.

Σεβαστηνοὶ Τολιστόβογοι. *C. I. Gr.* 4085.

Titulum hunc nomini suo adjunxit quoque urbs quæ caput erat provinciæ, Ancyra : Σεβαστὴ Τεκτοσάγων Ἄγκυρα (*C. I. Gr.* 4011), et nomen assumpsit inter tribus Ancyranas illa quæ sexta numerabatur : φυλὴ ϛ Σεβαστή, (*C. I. Gr.* 4027, 4031). Ex frequenti in nummis hujus epitheti usu error fluxit ab Eckhelio admissus, et ab aliis illius exemplo receptus, fuisse urbem in Galatia, quæ Sebaste vocaretur, multosque nummos cusisset. Errorem jam vidit Franzius, *C. I. Gr.*, ad n. 410. Qui in eam rem qua solet diligentia et sagacitate inquisivit W. H. Waddington, nummosque omnes, qui ad Sebasten Galatiæ referebantur, propriis manibus et oculis contrectavit, nos monuit ex his nummis alios esse ad Sebasten Phrygiæ, urbem aliunde bene notam, referendos, alios aut ad Ancyram, aut ad aliquem e tribus Galatiæ populis pertinere, ita per negligentiam monetariorum cusos aut per temporis diuturnitatem et injuriam male habitos ut pars aliqua inscribendi aut inscripti tituli exciderit, nomenque Ancyræ aut Tectosagum, quod in ære comparere debebat aut semper abfuerit, aut ibi jam non legatur.

(2) *C. I. Gr.*, 4039.

mus Galatas, quum hoc monumentum exstruerent, impensæ non pepercisse, optimosque architectos et omnis generis artifices, qui hac tempestate in toto Oriente inveniri possent, Ancyram arcessisse, dum ceteras urbes, quæ in Augusti honorem templa dedicaverant, Augustei sui magnificentia superare vellent. Qui enim tabulas operis nostri, quæ a Guglielmo, itineris totius fidissimo et utilissimo comite et omnium laborum indefesso socio, summa cura delineatæ sunt, inspiciet vir in his studiis versatus et artis architectonicæ non rudis, sentiet paucissima hac ætate exstructa esse ædificia, seu Romæ et in Italia, seu in Græcis Asiaticisque urbibus, quæ ad monumentorum Pericleæ ætatis pulchritudinem et venustatem ita prope accedant pristinorumque exemplarium decoram simplicitatem leporesque fuco vana et ornamentorum luxuria immunes ita bene referant. Ædes ex materia, quæ pretiosissima et elegantissima in hac regione inveniri poterat, ex Synnadensi, ut videtur, marmore, tota constabat; mira arte concinnati et conjuncti lapides usque ad hanc diem, nisi ubi per vim magno labore rupta est compages, inter se adhæsere et in loco mansere. Totius ædificii et diversarum ejus partium mensuris et proportione, columnarum et antarum capitulis, stylobatæ et zoophori ornamentis, portæ, qua in cellam intrabatur, postibus et hyperthyro nihil aptius et exquisitius, im-

primis si ad hæc tempora attendas, excogitari poterat. Absolvendo operi, in quo nullum nec parcimoniæ, nec festinationis indicium deprehendas, plures certe annos insumpsit *Commune Galatarum* (Γαλατῶν τὸ κοινόν), nec ædificio extremam manum imposuit nisi sub Augusti finem. Non enim ante ultimos Augusti annos aut primos Tiberii dedicatum fuisse Ancyranum templum judicaverunt quicumque in eam rem inquisiverunt (1). Quum enim in anteriore parte antæ sinistræ memorati sint ludi, qui ad ædem Augusti certis intervallis, in honorem imperatoris, edebantur, in ludis secundis mentio fit Juliæ Augustæ, quo nomine Livia appellari cœpta est post mortem demum mariti (2). Ergo in Tiberii certe imperium secundi ludi incidunt; de prioribus, quum nesciamus quod edendis ludis intervallum temporis initio constitutum fuerit, nihil affirmare licet. Augusteum autem Apolloniense, de quo supra jam diximus, sub Tiberio demum consecratam esse titulus, qui epistylio inscriptus erat cujusque fragmenta reperta sunt et edita, diserte monet (3).

Quinquennales fuisse hos ludos verisimile faciunt Suetonii verba, sæpius allata : « Provinciarum pleræque super templa et aras ludos quoque quin-

(1) Franz, *C. I. Gr.*, ad n. 4039; Mommsen, *Res gestæ Divi Augusti*, p. VI.

(2) *C. I. Gr.*, 4039, vv. 24-25.

(3) *C. I. Gr.*, 3971.

quennales pæne oppidatim constituerunt (1). » Quod si conjicias secunda solemnia in annum primum Tiberii imperatoris incidisse, recensus ludorum incipit ab anno p. Chr. 10, et terminatur a. p. Chr. 30. At si secundorum ludorum annus primo Tiberii imperantis anterior esse nequit, potest esse posterior; si, ut ex Apolloniensis templi exemplo conjicit Mommsen, ædes Ancyrana non nisi imperante Tiberio dedicata est, recensus ille ludorum usque ad Tiberii finem nos perducit.

Quidquid de ea re censeamus, titulus ille, quo per Commune Galatarum consecratur Augusto et Romæ ædes in horum numinum honorem exstructa, quo recensentur largitiones populo ab optimatibus spectaculaque singulis quibusque ludis oblata, dignus certe est cui paululum immoremur : licet mutilus jam sit et ita situs ut difficillime legatur nec multa, nisi per conjecturam, suppleri queant, qui fuerint tunc mores Galatarum, quis status provinciæ, multis nos indiciis docet. Quam quieta fuerit provincia et assueta legatorum Romanorum imperio vel hinc patet quod ultimi Galatarum regis, Amyntæ scilicet, filius Pylæmenes non modo in Galatia immensis, quas a patre accepit, divitiis libere fruitur, sed publice totam gentem, tres Galatiæ populos, donis suis effusa liberalitate prosequitur

(1) *Augustus*, 59.

et cumulat; quod non ausus esset facere, si per has largitiones aliquam de se suisque consiliis suspicionem legato injicere metuisset (1). Ceteri omnes principes gentis, veterum tetrarcharum filii et nepotes, simili modo opulentiam suam ostentant populariumque suorum favorem magnificis donis et spectaculorum pompa captant et ambiunt. Si vel levissimas causas habuissent Romani magistratus cur timerent ne unquam pristinam libertatem desideraret Galatia et suos sibi reges iterum præficere vellet, passi non essent gentis nobilissimos viros filiumque inclyti regis hac munificentiæ ostentatione nomen suum per ora hominum circumferre et civium admirationi amorique commendare.

Ex muneribus, quæ Galatarum proceres in honorem Cæsaris ediderunt, manifestum est tunc etiam, in manibus paucorum hominum, ex tetrarchis oriundorum magnisque clientelis potentium, gazam innumeram et fere totius soli dominium sita fuisse. Pylemænes Amyntæ filius non tantum omnis generis spectacula proposuit totamque eam aream ubi assurgebat Augusteum, ubi patebat Hippodromus, ubi festi dies celebrabantur (ὅπου ἡ πανήγυρις γίγνεται) et concurrebat populus, sua impensa instauravit et aptavit, sed tribus populis non semel convivium

(1) *C. I. Gr.*, 4039, v. 14-23, 41-49.

apposuit, et per totum annum in omnium Gallicarum urbium gymnasiis oleum gratuito dispensavit (ἤλιψεν δι' ὅλου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὰ τρία ἔθνη). Albiorix Ateporigis filius, forsitan tetrarchæ qui a Pompeio particulam Ponti acceperat (1), non multo minores sumptus fecerat, et lauto conviviorum, sacrificiorum, venationum apparatu cum Pylæmene, nobilitatis et famæ æmulus, quasi certaverat. Pylæmenem et Albiorigem imitati sunt alii Galatarum proceres, quorum partim nomina interiere, iis, quos memoravimus, nec opulentia, nec liberalitate longe inferiores. Opes illæ, regiæ magis quam privatæ, duobus aut fere tribus ante sæculis ex victoria et præda natæ erant, quum miseram Asiam raperent agerentque formidata præpetum equitum agmina; sed postquam liberius antehac evagantem Galatarum licentiam Attalus primum et Eumenes, mox Romana arma compescuere, postquam, procedente tempore, Romano imperio adjunctæ sunt omnes regiones quæ Galatiæ confines erant, Asia proconsularis, Bithynia et Pontus, Pamphylia, Cilicia, postquam bella, jam non, ut ante, fere perpetua, sed rariora et intra fines arctiores conclusa, prodigum luxum vix alerent, Galatarum optimates operam dedere ut armis quondam parta patrimonia sedule administrando conservarent et adaugerent, ut ex agris et pascuis,

(1) Strabo, XII, 3, 37.

quorum domini erant, quam amplissimos reditus perciperent. Dejotarus, si Tullio credimus, « non solum tetrarches nobilis, sed etiam optimus pater familias et diligentissimus agricola et pecuarius habebatur » (1). Per campos Lycaoniæ trecenos greges agebant Amyntæ opiliones (2), oves scilicet et capras. Licet enim Strabo ovium tantummodo mentionem faciat, quæ, ut ait, hac regione, quanquam aqua carente, mirum in modum nutriuntur, verisimile est genus illud caprarum, longo mollique et nitido vellere insignium, quibus nunc se jactat regio Ancyræ finitima interque Sangarii fontes et Halym inclusa, etiam tunc exstitisse. Asseverat Strabo illos, qui amplos greges possiderent in hac provincia, ex hoc quæstu magnas sibi opes comparavisse, et inter optimas et toto orbe terrarum laudatissimas lanas Plinius Galaticam recenset (3). Quum solita brevitate Plinius nihil amplius addiderit, nec singulis immoretur, lanam illam, quæ tanti habebatur, non tam ovilem quam caprinam fuisse suspicamur, nec diversam ab illa, quæ nunc Turcice *tiftik* dicitur, et quam quotannis, in tota Galatia, studiose conquirunt, colligunt et magni emunt Græci negotiatores, quam fere totam comportent in Angliam, ubi ex tenero et nitenti vellere confician-

(1) *Pro rege Dejotaro*, IX.
(2) Strabo, XII, 6, 1.
(3) Plin, *H. N.*, XXIX, 9, 4.

tur vestes sericeis fere certaturæ. Cœli temperies, aquarum, herbarum, soli imprimis natura hac tempestate, sicut hodierno tempore, pecudum lanæ proprium aliquid et peculiare addere debuerunt, quum capræ illæ, aliam in regionem translatæ, qualicunque cura habeantur, brevi degenerent, et, in annos, earum vellus breviorem et asperiorem lanam contrahat. Nec tantum Galaticam lanam Plinius laudat, sed et Galaticum coccum (1), Galaticam acaciam (2), Galaticam rutam (3), Galaticum abrotonum (4), Galaticum acoron (5).

Ex hac enumeratione herbarum frugumque variarum, quas gignebat Galatiæ solum et mercatores in varias orbis Romani partes deferebant, ex eo quæstu, quem audimus principes gentis fecisse ex agricultura et re pecuaria, intelligimus Augusti jam tempore et sub primis Cæsaribus, postquam Galatia e Mithridatici belli calamitatibus et ærumnis respirasset, longe alium fuisse statum et aspectum provinciæ atque erat quum Manlius in hanc regionem invasit. Cum veteribus incolis, Phrygiis, Cappadocibus, Græcis, si non viri gentis principes, at Gallica plebs certe coalescere inceperat; in vicos et pagos, jam securi nec semper ut bellum sive infer-

(1) *H. N.*, IX, 63; XXII, 3.
(2) Ibid., XXIV, 67.
(3) Ibid., XX, 51.
(4) Ibid., XXI, 92.
(5) XXV, 100.

rent aliis, sive ipsi fugerent, intenti, homines paulatim congregabantur; optimates, qui quondam in castellis, barbarico more, armatis clientibus stipati vivebant, sensim in urbes descenderant, in urbis conspicuo loco magnificas sibi ædes exstruxerant, urbemque, sumptu suo, publicis monumentis exornabant, quibus favorem civium et municipales honores captarent. Hæc autem non nisi per gradus evenere; si Ancyra et Pessinus, antiquæ civitates, in manibus Galatarum decus suum retinuere et Ancyra imperatorum ætate mirum in modum aucta est et ornata, Trocmi, qui, in ea regione quam insederant, urbem nullam jam antiquitus fundatam et humanitatis studiis excultam invenerant, Tavium, ut videtur, condiderant, cujus oppidi primum apud Strabonem mentio fit (1). Licet ex illo discamus ibi emporium satis celebre fuisse, et jam illo tempore stetisse colossum æneum Jovis illius Taviani, cujus postea fama per totam Asiam didita est, asylumque templo contiguum esse, videtur Tavium Ancyræ et Pessinunti non nisi recentiore ætate incolarum numero, monumentorum publicorum luxu et urbano cultu certavisse. In titulo, quo commemorantur edita in Augusti honorem a proceribus Galatarum munera, mentio fit Ancyræ et Pessinuntis, neutiquam Tavii. Non semel

(1) XII, 5, 2.

in titulo, postquam Ancyræ et Pessinuntis nomen occurrit, scribitur τὰ δύω ἔθνη, τοῖς δυσὶν ἔθνεσιν (1), ita ut multorum procerum liberalitates solum ad Tolistobogos et Tectosages pertinere videantur, Trocmosque in numerum larga manu oblatorum partem vix semel venisse dicas; solus enim Pylæmenes, regis Amyntæ filius, beneficia sua, ut testatur titulus, in tres Galatarum gentes extendit et cum omnibus communicavit. Inde conjicias Trocmos tunc temporis veteres Gallorum mores et avitam ferociam magis retinuisse, nec urbanæ et Græcanicæ vitæ consuetudinem adhuc æque apud eos invaluisse. Nec mirum; dum Tectosages et Tolistobogi opulentis Phrygiæ urbibus confines, quotidie rem haberent cum hominibus omni artium et litterarum genere pluria jam sæcula excultis et municipalis vitæ communia gaudia, certamina, festos dies, pompas et honores magni æstimantibus, Trocmi non nisi barbaris ferme gentibus contermini erant, Tibarenis, Moschis, Colchis, Iberis, Armenis, Cappadocibus. Debebant ergo, ut revere factum est, ultimi Galatarum avitos mores exuere, et populares suos, Tolistobogos nempe et Tectosages, non præcedere et ne passu quidem æquiparare, sed imitari tantum et intervallo distantes sequi pedetentim.

(1) *C. I. Gr.*, 4039, vv. 55, 58, 80, 85.

Initio autem primi post Christum sæculi, non apud Trocmos tantum, sed in tota gente aliquid supererat, Galatarum animis ingenitum, quod eorum originem proderet et eos a finitimis populis, si diligenter attenderes, secerneret. Qui enim, dum, bello dediti periculumque et mortem quotidie lacessentes, *non paventis funera Galliæ* (1) decus egregie sustinuerant, nunc, Romanorum legatorum auctoritate otium agere et sibi finitimisque gentibus parcere coacti, libenter oblectabant oculos alienæ mortis spectaculo. E versibus sinistræ Augustei antæ inscriptis manifestum est et Galaticarum urbium popello et proceribus nihil jucundius fuisse et acceptius quam venationes et gladiatorios ludos. Quum Græciæ, degeneri etiam et corruptæ, nunquam satis placuerint cruenta et inhumana certamina, quum semper, ut ait ipse Romanus poëta, tibicinibus et tragœdis magis gavisa fuerit splendideque ficta a suis poëtis, regum et heroum amores, calamitates, dolores, funera, mortibus veris et palpitantium membrorum extremis motibus prætulerit, quum in reliqua Asia spectacula illa non nisi serius, moribus Romanis latius in dies prævalentibus, in usum venerint (2), videtur Galatia, statim ubi cum Romanis amicitiam iniit, cruentorum certaminum

(1) Horat., *Carm.*, IV, 14, 49.

(2) Hujusmodi spectacula commemorantur in titulis aliarum Asiæ provinciarum, sed tituli illi omnes ævi sine dubio recentioris sunt. Vide *C. I. Gr.*, 3942, 4377, 4157.

morem festinanter arripuisse. Quos olim prœliorum variæ vices vehementi gaudio afficiebant, quos juvabat huic pugnandi aleæ totos se dedere, suo hostiumque sanguine velut ebrios, victoriæ avidos, lethi, dummodo ferirent et occiderent, incuriosos, eos nunc delectabat, pace jam per Asiam regnante omnique ad bellum aditu fere præcluso, simulacrum et speciem pugnæ spectare, attentos defixosque sequi manus consertas ferrique nudo pectori aut hiantis loricæ rimis alte imminentis agiles rapidosque motus, aures oculosque pascere furioso ferarum ululatu et mugitu, rabido hominum clamore et gemitu morientium, fragore gladiorum æreis clypeis et cassidibus illisorum. Hæc videntes spectantesque, forsitan et ipsi quoque interdum in arenam descendentes, ut cum tauris, leonibus et pardis depugnarent, animis periculi cupientibus vehementerque commoveri volentibus indulgebant.

Hoc nempe superest ex illa ingenita Gallorum ingeniis ferocia, ex illo mortis contemptu qui in fortibus factis feminarum virorumque hujus gentis, non ab uno historiarum scriptore memoratis, elucet. Alludimus scilicet ad facinora quæ ediderunt Chiomara regis Ortiagontis, Camma Sinati tetrarchæ uxor, injurias sibi pudorique et amori suo illatas propriis manibus punientes, illa jugulato ad nutum suum sub oculisque suis centurione, qui vim fecerat corpori, quod servum fortuna erat, capiteque ejus

ad pedes conjugis abjecto (1), hæc vitæ suæ damno carissimi mariti occisorem ad aras ulta, oblato in calice, unde ipsa propinaverat, letali veneno (2). Eodem pertinet generosum illud certamen, a Strabone memoratum, inter filios Adiatorigis, uter in locum alterius moreretur (3). Hæc non singula enarravimus, quod ad liberæ Galatiæ tempora, non ad Galatiam provinciam spectant; licuit tantum et commodum fuit ea in transitu memorare, ut ostenderemus e quo semine, temporibus mutatis corrupto et depravato, natus sit amor ille singularis, quo Galatæ venationes ferarum et gladiatoria certamina ante omnes Asiæ populos prosecuti sunt.

Circa hæc Tiberii tempora, quibus exaratus est iste titulus e quo plura de statu provinciæ et moribus Galatarum, quales tunc erant, expressimus, videntur Gallica nomina ex usu, quod ad proceres certe attinet, excessisse, a Græcis Latinisque nominibus cito excepta. Jam, si respicimus ad tetrarchas Pharsalico et Philippico bello æquales, videmus nonnullos eorum Græca aut Asiatica sibi nomina indidisse; satis erit Amyntam regem et ejus filium Pylæmenem memorare, quorum alter Macedonicum, alter Paphlagonicum nomen habet, quanquam, ut videtur, Gallico genere orti sint; vix enim Galatæ,

(1) Polyb., XXII, fr. 12. — Liv., XXXVIII, 24. — Plut., *De virt. mul.*, 22.
(2) Plut., *De virt. mul.*, 20.
(3) Strab., XII, 3, 35

plebs armatorum et proceres, qui Mithridatis præfectis adeo pertinaciter obnixi erant, se ab alienigena homine, a Græculo quodam, fortunæ filio, regi passi essent, eaque rei militaris peritia, ea audendi periculique lacessendi temeritas qua Amyntas, aspero contra montanos prædones bello semper occupatus, insignis est, Galli potius hominis est quam Phrygii aut Græci. Quidquid id est, Mithridatici belli tempore, omnes, qui apud Appianum, Plutarchum aliosque scriptores comparent, tetrarchæ turbidis Asiæ rebus immixti, Gallica nomina præ se ferunt; in titulo qui Tiberio imperante marmori incisus est, pars Galaticorum principum Græca aut Romana nomina sibi indidere; in titulis secundo post Christum sæculo exaratis, qui permulti Ancyræ reperti sunt et descripti, inter tot nomina, quæ ex his laterculis depromere vacat, vix unum invenias, quod dubitanter Galaticæ linguæ assignes (1). Illi ipsi, qui in titulo in eorum honorem concepto ab antiquis gentis Gallicæ principibus oriundi dicuntur, qui se regum et tetrarcharum nepotes esse jactant, majorum eorum, quorum memoriam invocant, nomina jam diu dedidicere, nomen-

(1) Alludimus ad nomen *Caracylaiæ*, Julii Severi, qui fuit consul anno p. Chr. 155, uxoris. Nihil huic nomini inest quod interpretationem Græcam admittat, quod ad Græcæ linguæ indolem accedat. Quum autem in titulo disertis verbis dicatur ἀπόγονος βασιλέων, jure conjiciemus nomen hic nobis obvium ad Celticam linguam pertinere. *C. I. Gr.*, 4030. Cf. Diefenbach, *Celtica*, II, pars prima, p. 254.

que suum ad morem Romanum composuere (1).

Operæ pretium est animadvertere in titulo longiori de quo plura disseruimus (*C. I. Gr.,* 4039), quum solemnium recensus, quinque, ut videtur, epochas complectens, ab anno p. Chr. 10 ad annum 30 extendatur et viginti annorum spatium ita concludat, secundis ludis, circa initium principatus Tiberii, nomina Gallica adhuc comparere : Albiorix Ateporigis filius (v. 24, 33), Amyntas Gæsatodiastæ (v. 26). Tertiis, quartis, quintis ludis, omnia, quæ laudantur, procerum nomina alia Græcam, alia Romanam indolem habent, nulla Gallicam : habemus nempe Metrodorum Menemachi (v. 35), Musanum Arctini (v. 35), Seleucum Philodami (v. 57), Julium Ponticum (v. 60), Aristoclem (v. 62), Q. Gallium Pulchrum (v. 66), Philonidem Philonis (v. 70), Acylam (v. 85). Scimus equidem nos quinque epocharum solummodo nomina hic habere, et horum paucorum nominum partem aut omnino interiisse, aut ex conjectura tantum legi, nec quum ita res se habeant, posse nos certum aliquid et inconcussum his fundamentis inædificare ; parum tamen probabile est casu fieri ut Gallica nomina potius in priori

(1) Dicuntur βασιλέων καὶ τετραρχῶν ἀπόγονοι Ti. Severus (*C. I. Gr.*, 4033), et Ti. Claudius Gentilianus (*C. I. Gr.*, 4058), quorum nomina plane Romana esse facile agnoscas. In aliis gentibus, quæ Ancyræ præcipuum locum hac tempestate obtinere videntur, invenias mixta Græcis Romana nomina ; sic nobis occurrunt M. Cocceius Alexander, Trebius Alexander (*C. I. Gr.*, 4010, 4012).

parte tituli occurrant, et ut pater, nomine inter omnes vere Gallico insignis, Gæsatodiastes, filium habeat Græco aut Macedonico tantum nomine designatum, Amyntam (1). Jure igitur conjicimus nos in hoc titulo, indiciis ductos non levibus nec dubiis, horam ipsam deprehendere qua, Augusto et Tiberio imperante, Gallici proceres, quanquam originis suæ non immemores, Gallicis nominibus, quæ incomptum aliquid et barbarum habebant, Græca et Romana nomina anteferre cœperunt, tanquam elegantiora et cum novis moribus, novo statu harum provinciarum magis congruentia.

Quum ad secundum p. Chr. sæculum venerimus, quo tempore et nummi plures, et plures nobis tituli suppetunt, totius provinciæ, id est regionum quæ cum Galatia sub uno eodemque legato conjunctæ vulgo erant, statum recensebimus, et, quantum erit in nobis, notabimus in quas partes divisa fuerit, quas urbes liberas, quas colonias habuerit. Nunc redimus ad seriem legatorum, quorum pauci tantum, sub primis præsertim Cæsaribus, nobis noti sunt.

(1) Ita in titulo Cenabensi, quem sagacissime, ut solet, restituit L. Renier (*Revue archéol.*, N. S., t. XI, p. 408-421), quemque mediis primi P. Chr. sæculi annis attribuit, pater nomen gerit Gallicum, imo, venia sit verbo, *Gallicissimum*, Atepomarus dictus. Filius autem, ille qui monumentum usque ad nostrum tempus servatum vivus sibi fieri curavit, L. Cornelius Magnus vocatur. Eadem fere tempestate et in Gallia et in Galatia videntur obsolevisse Gallica hominum nomina, inque illorum vicem Romana irrepsisse.

Ex omnibus, quorum nomen ad nos pervenit, post M. Lollium antiquissimus fuisse videtur qui in titulo Ancyrano memoratur edito olim per Gruterum e Bubsequianis schedis (1), nunc ex ipso lapide per Hamiltonium (2). Ex collatis duobus his apographis patet ita restituendum titulum :

AXIVS·LEG·PRO·PR
FETIALIS (3)

Quum nihil amplius continuisse videatur titulus olim a Bubsequio, et tribus fere post sæculis ab Hamiltonio, Ancyræ descriptus, difficile esset dicere quo tempore Axius noster Galatiam rexerit, nisi ex titulo recens effosso apud insulam Cyprum quemdam L. Axium Nasonem nosceremus, qui anno 29–30, p. Chr. Cyprum provinciam regebat (4); quum enim Tiberius unum et trigesimum tribuniciæ potestatis annum ageret, Axius proconsul erat Cypri, senatoriæ provinciæ, in quam non consulares, sed prætorii viri mittebantur (5). Potuit igitur, vel

(1) P. 1107, 4.

(2) Hamilton, *Researches in Asia Minor*, II, *Appendix*, n. 128. Ex illo repetiit Le Bas, *Voy. archéol.*, partie V, n. 1791.

(3) Scripserat Grut. *fecialis*, quæ lectio minime probabilis erat; vide Orelli ad n. 2274.

(4) Inventus est titulus ille ad locum dictum *Karabas*, 200 circiter metris ad Orientem monasterii τῆς ἀχειροποιητοῦ, inter rudera Lapithi, mihique a Waddingtonio communicatus, qui ineditum descripserat nondumque publici juris fecit.

(5) Apud omnes constat ex omnibus provinciis, quæ senatui assignatæ erant, duas tantum fuisse quæ a consularibus viris regerentur, Asiam scilicet et Africam.

ante, vel post administratam Cyprum, Galatiam Augusti legatus regere. Quum enim Axius nomen sit apud Romanos non admodum frequens, nec alium ullum Axium inveniamus qui imperatoria ætate ad honores per solitam viam evectus fuerit, nobis admodum probabile videtur illum, qui Ancyræ simpliciter Axius dicitur, non diversum esse a L. Axio Nasone, qui proconsul Tiberio imperante Cyprum rexit (1). Res autem extra dubitationem non posita erit nisi titulum aliquem inveniamus in quo nobis Axii illius totus cursus honorum ante oculos propositus erit (2).

Claudio imperante, Galatia legatum habuit Afrinum, ut liquet ex Pessinuntis nummo, cui inscriptum est : ΕΠΙ ΑΦΡΕΙΝΟΥ (3); urbes enim Galatiæ, quotiescumque nummis suis magistratuum nomina cum præpositione ἐπὶ et genitivo nominis inscribunt, semper ad Romanos præsides, nunquam

(1) Potuit ille L. Axius Naso filius fuisse hujus Q. Axii, divitis hominis et senatoris, quem fuisse inter Varronis amicos et Tullii ex ipsis apparet (Varro, *R. R.*, III, 2. Cic. *ad Attic.*, I, 12, 1; IV, 15, 5; II, 2, etc., etc.).

(2) Affert Mionnet nummum Galaticum cujus in antica Tiberii caput et nomen, in postica parte ἐπὶ βασ. πρεσβευτοῦ conspici affirmat (*Suppl.*, VII, p. 633, n, 10); cui si crederemus, fuisset inter Galatiæ legatos, Tiberio imperante, numerandus Bassus quidam. Sed Waddingtonius, qui nummum, Lutetiæ in regia bibliotheca asservatum, vidit et tractavit, me monet in postica ejus parte nihil esse quod discernant oculi, et ita deletas esse litteras ut ΒΑΣ non viderit, sed videre sibi finxerit Mionnet.

(3) Editus primum hic nummus ab ejus possessore Rauch in *Annalibus Instituti archeologici* (1847, p. 281 et pl. P. 1847, n. 6). Cf. quæ ad hunc locum annotat Borghesius in Diario ejusdem Instituti (*Bullett.*, 1849, p. 24).

ad urbium magistratus alludere ex tota Galaticorum nummorum serie manifestum est. Si qui in eis nummis, quales apud Eckhelium aliosque catalogorum scriptores recensiti sunt, municipales magistratus videntur comparere, urbium archontes et Græco, non Romano genere orti homines, certum habeas aliquem ibi errorem latere, nummumque esse aut ad Sebasten, aut ad Ancyram Phrygiæ referendum. Scimus autem, anno p. Chr. 59, consulem suffectum fuisse Afrenum (1) quem sentit Borghesius non diversum esse ab Afrino illo cujus nomen, per diphthongum scriptum, suis nummis incusere Pessinuntii. Si in una littera variatur, quum virum istum non nisi ex duobus monumentis noscamus, potuit aut hic aut illic in unius litteræ scriptione error excidere aut monetario aut tituli hujusce scriptori. Ceterum si nihil aliud de Afreno rescimus, hoc tamen operæ pretium est animadvertere, ex ejus legationis et consulatus tempore iterum demonstrari quod jam supra ad M. Lollium indicavimus, nempe hac tempestate in

(1) Rem didicimus ex titulo Pompeiis invento, in pariete lupanaris, ubi manu depictus erat : M. VINICIVS VITALIS EXIT PR. NON. IVLIAS AFRIINO ET AFRICANO COS. *Bullett. Archeol. Napolet.* anno IV, p. 6 (n. 53). Mommsen, qui vidit, legit, ut monet Borghesius, AFRI'NO ; sed Afrenum legi debere ex analogia constat ; notum enim aliunde nomen Afrenus. — Errat Borghesius quum Afrenum cognomen esse dicit ; nuper enim demonstratum est gentilitia nomina esse ea quæ syllabis *enus*, *ena*, terminantur. Cf. Henzen. n. 6247. Carebat, ut videtur, cognomine Afrenus noster.

Galatiam mitti prætorios non consulares legatos (1).

Discimus ex Tacito circa hoc tempus, anno 47 p. Chr., Romanas copias, quæ erant in orientali Asiæ latere, Magnam Armeniam invasisse, ut ibi, auxiliante Iberorum rege, Mithridatem in regnum restituerent : in expugnandis castellis, cui operi non sufficiebant levis armaturæ milites Iberici, aliquod tempus insumpserunt legionarii milites (2). Quæ copiæ in hac expeditione occupatæ fuerint, memoriæ non traditum; verisimile autem est hæc omnia ordinata et ductum exercitum fuisse a Galatiæ legato, cujus provincia Iberiæ et Armeniæ contermina erat. Quum Statius poëta, in carmine cui titulus *Soteria Rutilii Gallici*, omnes gradus enumeret quo vir hac ætate clarissimus ad summos in republica honores ascendit, narrat eum plures annos in Orientis provinciis commoratum esse, ibique tribunum stipendia meruisse. Hoc autem versu orditur hanc stipendiorum ejus enumerationem :

Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello.

Nullum vero in Galatia motum fuisse hoc tempore

(1) Si Sestinio credimus, levissimæ fidei auctori, in Pessinuntio Claudii nummo legitur : ΕΠΙ ΜΑΚΡΙΝΙ... ΠΕΣΣΙΝΟΥΝΤ (Mionnet, IV, 391). Potuit hic Macrinius, Galatiæ legatus, non alius esse atque Macrinius Viscus, quem *prætorium virum* appellat Plinius major, et quem ejus verbis conjicias tum senem fuisse, quum Plinius ipse juvenis esset (*H. N.*, XI, 38). Sed quum unico Sestinii testimonio nitatur nummi illius auctoritas, Macrinium non ausus sum in seriem legatorum recipere. Haud scio an in nummo Afrini nomine inscripto Sestinî legerit *Macrinium*.

(2) Tacit., *Ann.*, XI, 8, 9.

ex scriptoribus comperimus, nec res per se probabilis est rebellasse Galatiam, quæ læto animo Romanæ tutelæ se commiserat. Quum hoc in primum annum militiæ, qua inclaruit Rutilius, incidat, et extremis tantum tribunatus sui annis, post novem annos habitos in Pamphylia, post Pannoniam defensam, sub Corbulone in Armenia meruerit (1), non potest hoc Galatico bello aliud intelligi quam bellum cujus facit mentionem Tacitus, e Galatia per legatum Galatiæ et cum copiis, quæ in ejus manu erant, Armeniæ illatum.

A quo tempore in provinciæ formam redacta fuit Galatia, videntur Galatiæ legati, si non, ut habebant Syriæ legati, justum exercitum vulgo sibi habuisse, at certe non omnino inermes fuisse; latius patebat provincia, in ipsis imperii finibus sita et bellicosis hinc Tauri, illinc Iberiæ et Armeniæ gentibus contermina, quam ut legatus non aliquas cohortes Romanas, et auxilia ex ipsis provincialibus lecta ad manum haberet. Etiam in ipso Romanæ pacis gremio aliquid sine dubio retinuerant Galatæ avitæ illius fortitudinis promptique ad capessenda pericula animi quo olim inclaruerant totamque Asiam sibi vectigalem fecerant. Corbulonem vide-

(1) « Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello,
Hunc quoque perque novem tenuit Pamphylia messes;
Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci
Armenia, et patiens Latii jam pontis Araxes. »
(v. 77-81).

mus, in bello quod annis 55-63 contra Parthos et Armenos feliciter gessit, « Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia » evocare (1). Scriptum enim fuerat « regibus præfectisque et qui prætorum finitimas provincias regebant, jussis Corbulonis exsequi » (2). Prætores, ne longus sit, quum dicit Tacitus, intelligendi sunt illi legati Augusti pro prætore qui Syriam, qui Galatiam administrabant. Ex multis enim Taciti locis manifestum est, dum arderet hoc bellum, copias, quæ in eo occupatæ erant, sæpius hiemavisse dispersas, non in finibus Armeniæ per plures menses nivibus oppletæ et ligno fere carentis, sed mitiori sub cœlo et magis opportunis locis quos facile eligeres per vastum hunc terrarum tractum quem regebat legatus Galatiæ (3); nec minus liquet duces, qui cum Parthis et Armenis pugnabant, ex Cappadocia, Galatia, Ponto omnis generis subsidia et commeatus sibi militibusque suis excivisse.

Mortuo Corbulone per Neronis invidiam, aliquamdiu mansit terror, quem Parthorum animis impresserat, nec nisi insequenti sæculo iterum erupit inter Arsacidas et Cæsares dissidium bellumque. Non tamen omnino, nisi attente provinciæ invigilare non desinerent legati satis adversus improvisos in-

(1) Tac., *Ann.*, XV, 6.
(2) Tac., *Ann.*, XV, 25.
(3) Tac., *Ann.*, XV, 6, 10, 11, 17.

cursus muniti, poterat quiescere provincia, cui imminebant Tauri, Antitauri et tot montium edita juga, convallibus suis asperas et prædæ avidas gentes abdentia; ut enim Homonadenses omittamus, Syriæ qui eo tempore præfuerunt legatis adversus Clitas, gentem Ciliciæ Asperæ Homonadensibus simillimam, bis deducenda fuit expeditio (1) (annis 36 et 52 p. Chr.). Verisimile est, licet de Galatia scriptores reticeant, Galatiæ quoque legatos non semel ad id coactos fuisse, ut cum paucis cohortibus et alis in ipsa provincia delectis prædones sive e Lazarum et Iberorum atque Armeniæ regione advolantes sive e Tauri jugis delapsos castigarent et fugatos extra fines rejicerent. Dum imperium inter fluxos Cæsares, qui paucos tantum menses summa rerum potiebantur, distractum fuit, nemo ad hanc provinciarum in extremo imperii limite sitarum conditionem non satis tutam et securam attendit. Audimus ex Tacito Galbam « Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas permisisse » (2) (anno 70 p. Chr.); nihil autem amplius adjicit scriptor.

(1) Tacit., *Ann.*, VI, 41; XII, 55.

(2) *Hist.*, II, 9. Inventus est in ruderibus Antiochiæ ad Pisidiam titulus in honorem dicatus Calpurnii Rhegiani, viri senatorii, cui pater erat cognominis et consularis (*C. I. Gr.*, 3979). Notavit Arundell (*Discoveries in Asia Minor*, t. I, p. 289) in fragmentis inscriptionum hujus urbis haud raro reperiri nomina L. Calpurnii et Q. Calpurnii. Haud scio an, postquam Calpurnius Asprenas provinciam rexerit, hunc virum sibi patronum adsciverit Antiochia, et in clientela Calpurniæ domus deinceps manserit, ita ut et Antiochiæ Calpurnii Asprenatis nepotes honorarentur, et multi Antiochenses nomen sibi Calpurnii inderent.

Vespasianus ibi, ut in aliis orbis Romani regionibus, mira sagacitate in periculi et mali causas inspexit, gliscentemque in dies morbum opportuno remedio sanavit. Sensit inter Syriam et Galatiam, ad Antitauri radices, fines imperii velut interruptos hiare, et Cappadociam, inermem provinciam, inde ab anno 17 p. Chr., postquam abcesserat Archelaüs, a procuratore rectam, aditum barbaris usque in ipsius Asiæ viscera præbere. Erat quidem, ut ex Palestinæ et Syriæ exemplo discimus, procurator Cappadociæ legato Galatiæ quodam modo suppositus, ita ut ab illo auxilium et exposcere et accipere deberet; quum autem urgeret periculum, quum invasissent in provinciam prædonum manus, si legati Galatiæ, tunc forsan Iconii aut Ancyræ commorantis, adventus et jussa exspectanda erant, quid interim fiebat de provincialibus eorumque libertate et fortunis? Vespasianus igitur, ut hoc imperii latus firmaret et velut clauderet, « Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano (1). »

Videtur Suetonius, quid revera Vespasianus de Cappadociæ conditione statuerit, hic non satis disertis verbis, dum festinat, indicare. Ut enim ex nummis manifestum est, Vespasianus non tam novum legatum in Orientis provincias misit, quam

(1) Sueton., *Vesp.*, 8.

procuratorem, qui Cappadociam regebat, sustulit, totamque regionem, quæ legato Galatico paruerat, jussit, auctam Cappadocia, esse in futurum sub legato, cujus dignitas esset amplior, quum et inter consulares deligeretur et justum exercitum sibi habere soleret (1).

Videtur autem, antequam priscum ordinem ita Vespasianus immutavisset, primis ejus principatus annis, Galatiam rexisse Cn. Pompeius Collega, cujus in nummo tantum Ancyrano, cui Vespasiani caput et nomen insunt, mentio fit (2). Meminit autem Josephus Cn. Collegæ, anno 70 legati legionis in Syria (3), et anno 93, consulem ordinarium habemus virum iisdem nominibus insignem (4). Quum primum in hæc legatorum nomina inspicerem, legatum Galatiæ credideram non diversum esse nec a legato legionario nec a consule anni 93. Quum autem temporum et annorum jam accuratior ratio habenda fuit, parum verisimile visum est illum qui sine dubio ante annum 70 prætura functus esset, ad consulatum non nisi tribus et viginti annis serius evectum fuisse. Libentius igitur conjecerim duorum Collegarum memoriam nobis asservatam fuisse, et consulem anni 93 filium esse ejus qui Tito in bello

(1) Cum Suetonio cf. Tacitum, *Hist.*, II, 81 : « Sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. »

(2) Mionnet, *Description*, t. IV, p. 377, n. 17.

(3) Joseph., *Bell. Jud.*, VII, 3, 4.

(4) Borghesi, *Fasti.*

Judaico operam navaverit. Quum autem Vespasiano imperante Galatiam rexerit Cn. Pompeius Collega, quid magis probabili conjecturæ accommodatum, quam nos hic habere legatum ipsum legionis, cui rei in bello Judaico strenue et gnaviter gestæ primis Vespasiani annis, paulo post devictos Judæos, præmium fuit concredita Galatiæ provinciæ administratio? Videmus non semel prætorios viros, qui Galatiam regebant, dum in hoc officio essent, in consulatum designatos fuisse (1); parum igitur verisimile est virum, qui ultimis Domitiani annis consul fuerit, sub Vespasiano Galatiam administravisse. Ergo inter legatum legionis et consulem anni 93 non est cur dubii hæreamus, et a vero non deerrare videbimur, ut spero, si Cn. Pompeium Collegam sub initium Vespasiani imperantis in Galatiam e Syriano exercitu missum fuisse asserimus.

Consularium autem legatorum, quos postea Vespasianus hoc imperii latus custodire jussit, et qui sine dubio *legati Augusti pro prætore provinciarum Cappadociæ et Galatiæ* audiebant, videtur primus fuisse M. Neratius Pansa, cujus nomen in multis æque Ancyræ et Cæsareæ nummis comparet (2). Eum jam

(1) Vide titulos dedicatos honori C. Julii Scapulæ (p. 114), L. Petronii Veri (p. 125). Quum inter paucos, quorum nomina ad nos pervenerunt, Galatiæ legatos, duos inveniamus, qui, cum hanc ipsam legationem gererent, designati consules fuerunt, inde æstimare possumus quanti momenti fuerit Galatiæ legatio; non quidem consularibus, ut credidit Marquardt, sed viris, qui jamjam in eo erant ut consulatum adipiscerentur, vulgo deferebatur.

(2) Mionnet, t. IV, p. 377 et p. 441. *Suppl.*, t. VII, p. 631, 633, 662,

in hoc officio fuisse decimo Vespasiani anno (78 p. Chr.) testatur nummus Florentiæ in regio museo asservatus (1); in ceteris nummis, quos annorum notas gerere asseverat Mionnet, has notas aut omnino abesse aut admodum incertas esse nec dignas quibus fides adhibeatur me monitum habet, qui hos omnes nummos ipse inspexit et contrectavit, G. H. Waddington. Ceterum, quum plerumque tres annos in officio legati Augusti manere solerent, probabile est M. Neratium Pansam Galatiæ et Cappadociæ præfuisse donec eum exciperet, sub Tito, A. Cæsennius Gallus, cujus titulum habemus anno 80 lapidi inscriptum.

Cæsennium in nummis Cæsareæ non semel sub Tito comparere viderant docti (2); ex titulis autem nuper didicimus eum usque ad primum Domitiani certe annum munere functum esse, et Neratii instar, Galatiam cum Cappadocia junxisse, nec non legationem suam magnorum et utilium operum instauratione nobilitavisse. Quum, nisi in mentione imperatoris, qui tum regnabat, inter se non differant duo illi tituli, uterque milliario inscriptus, satis erit milliarii, quod nos primi invenimus, titulum hic repetere :

663. Eckhel, t. III, p. 190. — Borghesi, *Iscriz. di Sepino* (*Œuvres épigraphiques*, t. III, p. 348).

(1) Mionnet, *Suppl.*, t. VII, p, 662, n. 18, 19, 20.

(2) Mionnet, *Suppl.*, t. VII, p. 663, n. 25 et 26.

IMP CAESAR DIVI VESPASIANI *f. domitianus*
AVG PO*n*T MAX
TRIB POTEST COS VIII DESIG IIIIPPPER
A · CAESENNIVM GALLVM LEG
PR PR VIAS PROVINCIARVM
GALATIAE CAPPADOCIAE
PONTI PISIDIAE PAPHLAGONIAE
LYCAONIAE ARMENIAE MINORIS
STRAVIT
'H VIII

Ad portam Ancyræ, hodie *Namaz-Ghia* dictam, quæ, ut ex locorum inspectione patet, cum antiquæ portæ situ congruit, in cœmeterio turcico milliarium jacens et fere totum consepultum invenimus, anno 1861 (1). Nihil deesse titulo videtur, nisi Domitiani nomen, postquam rescissa ejus acta fuerunt, ex senatus decreto abrasum. Titulus ab Hamiltonio ad vicum *Meulk,* in occidentali Galatia, descriptus, spectat ad annum 80 p. Ch. (2); hic noster, in quo Domitiani tribunicia potestas prima et consulatus octavus memorantur, pertinet ad annum 82. Unius harum viarum, quas stravit Cæsennius, partem superstitem videre mihi visus sum, quæ ab hac porta, *Namaz-Ghia* dicta, meridiem versus ducit;

(1) Titulum, dum adhuc in Asia commoraremur, mandavimus Henzenio, qui ex epistola nostra edidit (*Bulletin de l'Institut archéol.*, 1862, p. 67) et suis animadversionibus illustravit.

(2) *Researches in Asia Minor*, t. II, *Appendix*, n. 138. Henzenius, cum supplementis, n. 6913.

qua iter, quod ad locum *Mohan-Gheul* pergit, inter collium anfractus rivum *Karadéré-sou* sequitur, plus quam horæ unius spatio antiquæ viæ longa fragmenta invenias passim ita bene compacta adhuc et integra ut paucis ante annis confecta esse credas facile, nisi obstet lapidum moles et totius operis singulari diligentia elaboratum artificium, quod primo statim obtutu Romanam manum prodit. Est ubi quinque μέτρων latitudinem habeat; utrumque viæ latus muniunt saxa grandia, unum ferme μέτρον longa, e calcario lapide, venis rubris distincto, quod ad marmoris fere duritiem accedit. Hoc, nisi fallimur, superest de via quæ Ancyram cum Iconio conjungebat; qui Ancyra Iconium tenderet, multa forsan illius viæ vestigia animadverteret, et in his forsan plura milliaria, aut ad instaurationem, aut ad reparationem viæ pertinentia.

Nemo mirabitur tres saltem annos occupatum fuisse Cæsennium in viis omnium provinciarum, quæ inter Euphratem et Sangarium, inter Tauri montis vertices et Euxini maris oram comprehenduntur, rite sternendis. Pars quidem illius tractus, qualis est omnis regio quæ inter Iconium, Pessinuntem, Ancyram, Cæsaream patet, fere tota in planitiem effusa, vias sternentibus non arduum et asperum laborem injungebat. At in Ponto, Pisidia, Paphlagonia, Armenia Minore, prærupti montes surgebant, quorum præceps latus via non poterat

sine magna impensa multorumque hominum assiduo sudore scandere; exscindendæ rupes erant, arctæ fauces ferro dilatandæ, fluminibus e montanis jugis magno impetu ruentibus pontes injiciendi. Verisimile est, ut tantum opus intra paucos annos absolveretur, injunctum fuisse provinciæ, quæ inde tantam utilitatem perceptura erat, extraordinarium vectigal, et omnes incolas regionis, per quam novæ viæ excurrerent, ad id coactos fuisse ut operi publico, per statutum et definitum tempus, accingerentur. Ut fit apud recentiores, qui divitiis pollebant, argenti summam præstabant, qui pauperes erant, urbium plebs, pastores, agricolæ, operam paucorum dierum quotannis commodabant. Quocumque modo res ordinata sit et disposita, certum est eam magni momenti fuisse ut per vastam hanc regionem omnis generis opes crescerent et multiplicarentur, ut commercii facilitate homines longo locorum intervallo sejuncti paulatim arctioribus vinculis conjungi inciperent et in populum vere unum coalescere, ut Græcæ Romanæque artes et ipsa humanitas altius tandem penetrarent in animos gentium quas vix ad hanc diem, si paucas urbes excipias, attigerant. Usque enim ad tempus, quo venit in potestatem Romanorum Asia quæ ultra Sangarium et Halym erat, lingua, mores, ritus, religiones horum hominum, ut ex Strabone intelligitur, barbaricum colorem nondum exuerant, magnum-

que discrimen erat inter Asiam proconsularem, tot jam sæcula excultam humanioribus litteris artibusque, et populos Isauriæ, Pisidiæ, Galatiæ, Cappadociæ, aut longa contumacia feroces, aut longo servitio hebetes et inertes; inter amœnam et magna ex parte omnium frugum feracem regionem, splendidis urbibus abundantem, et montium asperas convalles campique aqua et ligno carentis desertam multis locis vastitatem. Romanis hoc toto tractu potitis, cœperunt et ingenia excoli, et animi molliri, et montium saltus faucesque commercio patere, et, ubicumque hominis vitæ natura non plus æquo infesta esset, coloni et pastores et negotiatores convenire. Quamdiu autem viæ munitæ non erant, quibus secure omni tempestate peregrinantes uterentur, non potuerunt et merces commode ad maritimos portus ex mediterraneis regionibus transvehi, et homines facile locum mutare. Non igitur nisi tarde mores immutabantur et meliori humaniorique vitæ assuescebant homines. Eo tantum tempore, quo munitæ fuerant omnes illæ viæ quas in *Itinerario Antonini* ex Ancyra in diversas Asiæ provincias discurrentes videmus, Romani debitum, quo se obligaverant erga victas gentes, ut ita dicam, exsolverant; nihil jam obstabat quin et in illa quoque ulterioris Asiæ remota regione novus, ut poetæ verba usurpemus, sæclorum nasceretur ordo, et veris mansurisque beneficiis amissam libertatem subacto orbi pensaret.

Ex omnium harum viarum instructione magnum et ipsi imperatores fructum percipiebant; priusquam enim stratæ fuissent, non sine temporis jactura et duro labore legiones per Asiam usque ad Armeniæ et Parthici regni fines deducebantur, et pugnantibus commeatus subministrabantur. Nunc autem et multo citius in violatos fines præsidia mittebantur, et minore impensa in legionum castra quæcumque opus essent opportuno tempore perveniebant. Hæc reputanti et perpendenti videbimur non plus æquo huic Cæsennii Galli legationi, qua per ulteriorem Asiam ex Ancyra viæ extendi cœperunt, immorati esse.

An diutius quam solebant legati in provincia manserit A. Cæsennius Gallus, opere, quod inchoaverat, ad finem perducendo occupatus, incertum. Inter præsides, quorum ad nos aliqua mentio pervenit, ille quem Gallo proximum fuisse judicamus, Ti. Iulius Candidus Marius Celsus, consul suffectus fuit anno 86. Si Galatiæ tantum præpositus fuit, quæ etiam tum prætoria provincia erat, potuit ante consulatum hac legatione fungi, et anno 82 aut 83 Gallum excipere; si Cappadociam cum Galatia conjunxit, quod plane ignoramus, non potuit ante annum 87 in hanc provinciam mitti. Nil aliud nisi eum Galatiæ saltem præfuisse per titulum docemur ab Hamiltonio Ancyræ in castelli muris descriptum, qui facile ita restituitur :

*ti. iu*LIO CANDIDO
MARIO CELSO
*l*EG · AUG · PRO PRAET · (1)

Veniendum nunc ad L. Bellicium Sollertem, qui nobis ex titulo notus est quem ad Antiochiam Pisidiæ invenit et descripsit Hamilton (2). Hunc Henzenius, Borghesium secutus, non diversum esse censuit ab illo Bellicio qui in fastis paulo post annum 105 collocandus esse Borghesio visus est. In eam rem non satis autem attente inquisivit vir cæteroquin diligentissimus. Si enim cum Borghesio omnes titulos recenseas quos habemus ad Belliciam gentem spectantes, videas alium esse legatum Galatiæ cujus meminit titulus Antiochensis, alium consulem sub Trajano suffectum. Qui enim Galatiæ præfuit Publii filius dicitur, Stellatina tribu, et legionis XXII Primigeniæ legatus fuerat; alter autem Tiberii filius audiebat, Quirina tribu (*Annal.*, 1830, p. 261) et legionis II Augustæ legatus fuerat. Qui consul fuit, primum vocabatur *Ti. Claudius Ti. f. Quir. Alpinus* et equestrium munerum viam

(1) Hamilton., II. *Appendix*, n. 125. (Le Bas, *Voy. archéol.*, 1789.) Habes apud Hamiltonium MIO, unde posses conjicere hiç finem nominis alicujus sicut est Posthumius aut Septimius te habere. Sed facile potuit VL cum M confundere Hamilton, cæteraque nomina legati cum nominibus consulis anni 86 aptius congruunt quam ut Septimium quemdam Candidum Marium Celsum fingere e conjectura audeamus.

(2) T. II, *Appendix*, 178.

Ex eo edidit Henzen, n. 6912. Cf. Borghesi, *Iscrizioni della gente Bellicia*, *Ann. Inst. archeol.*, 1830, p. 258.

ingressus est, utpote qui *procurator Augusti provinciæ Britanniæ* fuerit (*Ann.*, 1830, p. 258). Postquam hoc officio functus esset, adoptavit eum, ut videtur, senator quidam *L. Bellicius Sollers*, noster, ut quidem admodum probabile videtur, legatus Galatiæ, qui patricius erat, quum curulis ædilis fuerit; tum principis decreto albo senatorio inter quæstorios inscriptus est, ita ut prætor fieret (Plin., *Ep.*, V, 14), mox consul (*Ann.*, 1830, p. 258). Quod ad L. Bellicium Sollertem, Galatiæ legatum, ex titulo, quem Borghesius memorat, ubi *pater consulis* vocatur, jure conjicias eum usque ad consulatum non pervenisse.

Quod ad tempus attinet, quo Galatiam administravit L. Bellicius Sollers, cum filius ejus adoptivus post annum 105, sub Trajano, consul fuerit, necesse est patris legatio paucis certe annis anterior sit, et ad Vespasiani aut saltem Domitiani tempora rejiciatur. Unum habes indicium in titulo quod ætatem L. Bellicii propemodum definiat. Narratur enim, postquam prætor fuisset, donatus esse

don(is) militarib(us)
expedit(ione) Suebic(a) et Sarm(atica).
. . . .

Censuerat Henzenius hic mentionem fieri expeditionis Suebicæ et Sarmaticæ Vespasiani (1); quum

(1) Ad n. 6912, nota 8.

autem hic imperatoris nomen, quod vulgo in hujusce generis testimonio adfertur, deesse videamus, verisimile est nomen de industria omissum esse, quod imperator, qui hic nominandus fuisset, a senatu damnatus fuerat et ejus memoria abolita. Damnati imperatoris nomen ita vitari solere pluribus monumentis demonstratum est (1). Non Vespasiani igitur, sed Domitiani bellum Suebicum hic intelligendum est, quod, ex computatione Tillemontii, cum duraverit ab anno 86 ad annum 89, non potuit ante annum 90 Bellicius Sollers in Galatiam mitti (2). Rerum ab eo in hac expeditione præclare gestarum hanc legationem præmium habuisse videtur.

Galatiam tantum et provincias quæ cum Galatia constanter adhærebant, non autem una Cappadociam regere potuit Bellicius Sollers. Hoc facile conjecissemus e legatione Galatiæ ante consulatum gesta, quum certum sit hac ætate Cappadociam non nisi consulares legatos rexisse; res est autem extra omnem dubitationem posita verbis quibus conceptus est titulus, in ipsa provincia, eo ipso tempore quo legatus erat Bellicius Sollers, in ejus honorem ab aliquo libertorum positus. Quum enim nihil liber-

(1) Vide Orelli 3049 cum emendatione et notis Henzenii in t. III, p. 265.

(2) De hac expeditione vide quæ annotat Henzenius ad *Orelli*, 6766. Operæ tamen pretium est ad hunc locum animadvertere in cæteris titulis memorari Domitiani non quidem *expeditionem suebicam*, sed *bellum suebicum*, quod, nisi in omisso imperatoris nomine tantum momenti esset, nos quoque forsitan ad id adduceret ut de Vespasiani rebus hic agi suspicaremur.

tus omittat quo adaugeri possit patroni sui dignitas, et diserte nominet omnes provincias quæ legato Galatiæ parebant, de Cappadocia omnino reticet, quam certe non omisisset si Cappadociæ quoque præpositus fuisset Bellicius. Dicitur in titulo Bellicius

leg(atus) Aug(usti)
pro pr(ætore) provinc(ciæ) Gal(atiæ),
Pisid(iæ), Phryg(iæ), Lyc(aoniæ), Isaur(iæ),
Paphlagon(iæ), Ponti Gala(tici),
Ponti Polemonian(i)
Arm(eniæ). . . . . .

Ex hoc titulo manifestum est Galatiam et Cappadociam, postquam sub Vespasiano et Domitiano aliquandiu conjunctæ fuissent, iterum separatas fuisse. Senserant imperatores vastiorem esse provinciam, quæ ex duobus hunc in modum conflabatur, quam quæ commode uni viro pareret. Si Bellicius Galatiæ tantum præfuit, A. Julius Quadratus qui circa ea tempora, anno scilicet 94, Cappadociam legatus rexit, Galatiam videtur non in manu sua habuisse; in iis certe titulis, quibus ejus legatio Cappadocica memoratur, nulla Galatiæ mentio fit (1).

Hunc excepit, si quidem subito post priorem anni 93 consulatum Cappadociam administravit Quadratus, T. Pomponius Bassus, qui iterum Neratii et Cæsennii ad instar, Galatiam cum Cappadocia

(1) De A. Julio Quadrato vide Borghesi, *Opere numismatiche*, t, II, p. 14 et seqq. *C. I. Gr.*, 3532, 3548.

conjunxit (1). Ejus enim nomen pariter in Cæsareæ et in urbium Galaticarum nummis legitur, ubi πρεσβευτής et πρεσβευτὴς ἀντιστράτηγος dicitur. In nummis Domitiani, Nervæ, Trajani comparet. Diutius solito provinciam tenuisse videtur. Me certiorem facit Waddington in nummis, quos ipse attrectavit et vidit, Pomponium exhiberi quintodecimo Domitiani et tertio Trajani anno (2). Anno igitur 95 jam provincia potiebatur, nec ea ante annum 100 decessit. Titulum ejus nomine inscriptum invenimus anno 1861 in loco *Kaledjik* dicto, apud Tectosagos, inter Ancyram et Halym; quem ita cum supplementis edidit Henzenius, quocum per epistolam, quum adhuc in itinere versaremur, communicaveramus :

imperator
DIVI NERVAE *f.* TRAIA
NVS CAESAR AVG GER
MANI*cus p*VNTIFEX (sic)
MAX·TRIB·POT·P·P·COS·II
RESTITVIT PER *t.* POM
PONIVM *bas*SVM *leg.*
PRO PRAETORE M· *p.*
XXX
VIII

(1) De Pomponio vide Plin. j., *Epist.*, IV, 23. Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 190. Borghesi, *Bulletin de l'Institut*, 1844, p. 126. Henzen, *Annales*, 1844, p. 14. Mionnet, *Description*, p. 375, 376, 377, 378, 411-413. *Suppl.*, VII, 632, 665. Orelli, 784, 3362.

(2) Mionnet (*Suppl.*, VII, p. 665, *n.* 38) affirmat in nummo legi IΔ (14). Rem ita non se habere, sed ultimam notam deletam esse nec legi in nummo asseverat Waddington.

Ex mentione tribuniciæ potestatis primæ et secundi consulatus Trajani manifestum est spectare titulum ad annum 98. Cæterum fuisse hunc virum inter fidissimos et spectatissimos Trajani amicos et adjutores testantur partes quas in Trajani institutione alimentaria una cum Cornelio Gallicano sustinet (1). Si tamdiu mansit in provincia, conjicere possumus ibi suscepta ab eo fuisse opera publica et novam omnium rerum ordinationem quæ eum ultra solitum tempus in hac Asiæ parte detinuerunt. Res a Cæsennio Gallo inchoatas Pomponius, nisi fallimur, perfecit, remotasque illas provincias omnibus humanitatis et commercii instrumentis auxit et instruxit, ita ut ad statum finitimarum provinciarum, Asiæ scilicet et Bithyniæ, prosperum et florentem, in dies propius accederent.

Post Pomponium videntur Galatia et Cappadocia nunquam sub uno rectore coaluisse, sed utramque dehinc suum sibi præsidem habuisse. Nec enim iterum in nummis Cappadociæ et Galatiæ nomen unius atque ejusdem legati comparet, nec unquam dehinc in titulis Galatiæ et Cappadociæ nomina conjuncta occurrunt (2). Dimidiæ fere parti Asiaticæ peninsulæ regendæ unus vir vix satis erat,

(1) V. Borghesi, *Bullet. dell' Instit.*, 1844, p. 125 et seqq... Cf. *Tabulam Veleiatium,* ap. Desjardins, *De tabulis alimentariis*, III, 10 et 53; VII, 37.

(2) Titulos vide in honorem Cappadociæ legatorum conceptos apud Henzenium, 5480, 6049, 6484.

qualicumque diligentia operi accingeretur, in provincialium necessitates inquireret, seque officio suo totum dederet.

Sub Hadriano Galatiam administravit A. Larcius Macedo, quod discimus ex duobus milliariis quorum alterum in urbe *Kaledjik* olim Hamilton et ego nuper descripsimus, alterum ego inveni et legi Ancyræ, ad templi Musulmanici, quod *Hadji-Moussa* vocatur, portam. Hic titulus ex altero, quod post Hamiltonium denuo edidit Henzenius emendatum ex nostris schedis, facile restituitur (1) :

IMP·CAES·
DIVI TRAIA*ni par*
THICI *f*· DIVI NERVAE
NEPOTI TRAIANO
HADRIANO AVG PON*t*·*max*·
TRI*b*·POT VI COS III
PER A·LARCIVM MA
CEDONEM LEG· AVG·
PR· PR *m*·*p*·
VII· H·

Ex collatis tribuniciæ potestatis et consulatus numeris facile intelligitur titulum pertinere ad annum 122-123 p. Chr. De hoc A. Larcio Macedone nihil præterea nec in titulis nec apud scriptores inveni-

(1) *Bulletin de l'Institut archéologique*, 1862, p. 68.

mus, nisi forte aut filius aut cognatus fuerit hujus Macedonis viri prætorii quem Plinius narrat a servis suis occisum esse (1).

Multa hic haberemus quæ, si placeret, de statu provinciæ, qualis fuisse Antoninorum tempore videtur, annotaremus; sed ea rejicere ad calcem satius judicamus, dum persequimur seriem legatorum, quorum pauci, et ii tantum nomine, post secundi sæculi initium, nobis noti sunt.

Sub Hadriano legatus fuit Galatiæ C. Julius Scapula, quem Σκάπλαν dicunt duo tituli Ancyrani, quibus totus ejus cursus honorum continetur (2). In his titulis memoratum est Scapulam, tum quum ponerentur, consulem designatum fuisse, ejusque consulatus in anni 138 kalendas septembres incidit, ut ex his ipsis titulis manifestum est, quippe qui eum dicant πρεσβ(ευτὴν) κ(αὶ) ἀντιστράτηγον Αὐτοκράτορος Τραϊαν[οῦ Ἀδρι]ανοῦ Σεβαστοῦ, [πατρὸς] πατρίδος, ἀρχι[ερέως μεγί]στο[υ], κ(αὶ) Αὐτοκρά[τορος Τ.] Αἰλίου [Ἀντωνείνου] Καίσαρος [Σεβαστοῦ] (n. 4022), etc. Inde liquet titulos incisos fuisse dum viveret adhuc Hadrianus, vocato in imperii consortium Antonino, id est ad hoc temporis intervallum pertinere quod a die XV ante kalendas Martias ad diem VI ante idus Julias extenditur. Noti sunt aliunde nobis duo illi

(1) Plin., *Epist.*, III, 14. In editis Plinii libris legitur *Largius*, non *Larcius*. Parum autem refert, quum nemo ignoret quam facile confundantur in codicibus litteræ C et G.

(2) *C. I. Gr.*, 4022, 4023.

consules qui kalendis Juliis suffecti sunt; certum igitur est Scapulam kalendis Septembribus magistratum iniisse. Quum circa kalendas Julias novi præsides provincias suas ingrederentur, debuit initio æstatis Scapula e Galatia decedere. Lege cautum erat ne statuæ et tituli in honorem præsidis, munere suo defuncti, ponerentur ante quadragesimum diem postquam decessisset e provincia; vero igitur simillimum est Julio aut Augusto mense, antequam allatus esset in orientales provincias nuntius de morte Hadriani, positum fuisse titulum. In usum venerat ut tres continuos annos in provinciis manerent legati Augusti; jure igitur conjicias Scapulam annis 135, 136, 137, nostram provinciam rexisse. Quod si in his ipsis titulis ἀνθύπατος (v. 10, v. 6) dicitur, cave intelligas eum jam, cum in Galatiam mitteretur, consulem fuisse; homo prætorius aliquam e senatoriis provinciis administraverat, quorum præsides, etiam quum inter prætorios delecti essent, *proconsules* semper dicebantur.

M. Aurelio imperante legatus fuit Galatiæ P. JUVENTIUS CELSUS, qui consul ordinarius fuit anno 164. Ejus igitur legatio circa annum 160 collocanda est, nobis ex Pessinuntis nummis nota, in quibus legitur ЄΠΙ ΙΟΥЄΝΤΙΟΥ ΚЄΛ ΠЄϹϹΙΝ aut ЄΠΙ ΙΟΥ ΚЄ (1).

(1) Mionnet, *Descr.*, IV, p. 393.

Paulo posterior esse debet P. Plotius Romanus, cujus hic transcribendus est integer titulus, quum ex eo si non ipse legationis annus cognoscetur, at satis arctis finibus terminatur intervallum temporis intra quod provinciæ præesse potuit :

P·PLOTIUS ROMANUS COS·SOD·AUG·CL·
LEG·AUG·PR·PR·PROV·ARAB·ITEM GAL·
PRAEF·AER·SAT·LEG·AUG·CENS·ACC·HISP·CIT·
IUR·PER AEM·LIG·CUR·VIAE LABIC·CUR·VERC
PR·URB·TRIB·PL·Q·KAND·$\overline{VI}$·VIR·EQ·R·TUR·$\overline{II}$
TRIB·MIL·LEGG·I·MIN·ET II ADJUT·$\overline{IIII}$ VIR V·V·CUR·
AEDEM CUM OMNI CULTU CONSECRAVIT (1).

Plotii Romani, qui consul suffectus fuit, consulatus in quem annum incidat, nondum liquet. Sed manifestum est Trajano recentiorem esse, quum hic provinciæ Arabiæ mentio fiat, quæ a Trajano primum constituta est (2). Sed non hoc tantum : *juridicus* fuit *per Æmiliam et Liguriam* Plotius; juridicos autem inter annos 162 et 168 a M. Aurelio creatos primum fuisse constat (3). Quum autem imperante Caracalla Hispania citerior in duas provincias divisa fuerit (4), Caracallæ temporibus anteriorem esse Plotium Romanum verisimile est, quod cum tituli apta et accurata brevitate bene congruit.

(1) Romæ, Fabretti, p. 411, n. 353. Orelli, 3044.
(2) Amm. Marcell., XIV, 8, § 13.
(3) Capitolinus, *Marc.*, 11, Borghesi, *Ann. Inst. arch.*, 1853, p. 188. Henzen, ad n. 6485.
(4) Hentzen, 6914.

Aliud est in hoc titulo ad quod attendas necesse est. Censet Marquardt ex titulis in quos mox inquiremus, Fulvio scilicet Æmiliano et Minucio Florentio dicatis, primum prætorium, deinde consularem fuisse Galatiæ legatum (1). In omnibus, quos jam tractavimus, titulis non invenimus nisi prætorios legatos, quando quidem Galatia aut non erat cum Cappadocia conjuncta aut esse desiit. Rem eodem modo circa finem secundi sæculi se habere manifesto indicio demonstrat titulus hic de quo nunc disserimus. Constat enim prætorium legatum in Arabiam mitti solere; postquam igitur Galatiam rexit, Arabiæ præficitur Plotius, qui, si primum legationem accepisset consularibus reservatam, non inde in munus prætorium recidisset.

Ultimo seculi secundi decennio Galatiam rexit vir Severi ætate inter primores civitatis annumeratus, qui bis consul fuit, annis scilicet 193 et 204, et Urbi præfectus, nempe L. FABIUS CILO SEPTIMINUS CATINIUS ACILIANUS LEPIDUS FULCINIANUS. Quum in titulo, qui longissime et disertissimis verbis gesta ejus et honores enarrat (2), nihil intersit inter legationem Galatiæ et ductas vexillationes quæ Perinthum pergebant, jure conjicias eum Commodo imperante in

(1) *Handbuch der Römischen Alterthümer,* Th. III, p. 156 et n. 1041.

(2) Marini, *Iscrizioni antiche della villa Albani,* n. 40 (ap. Gruter, p. 409, n. 1). Cf. n° 41. Inverso ordine enumerantur honores n. 40 : .....duci ve || xill. per Italiam exercitus imp. || Severi Pii Pertinacis Aug. et Imp. || Aurelii Antonini Aug. præpo || sito vexillation. Perinthi. per || gentib. leg. Aug. per provin. Ga || lat..... .

Galatiam missum fuisse, quam provinciam forsitan tenebat quum consul designatus fuit, ut Julio Scapulæ, de quo supra memoravimus, evenit. Postquam inde redux Romæ consulatum gessisset, eum sibi *comitem,* jam profecturus in Pescennium, adjunxit Severus imperator. Vexillationes igitur Fabius Cilo ex Italia Perinthum duxit, ubi collectum erat totum Severianarum partium robur, unde mitterentur legiones in Nigrum Asia potitum, mox in Byzantium, quod etiam post Nigri mortem tres annos obsidionem sustinuit. Inde, finito bello, post captum Byzantium partem exercitus victoris in Italiam reducit.

Potuit quoque, post Nigrum extremo prœlio in Cilicia victum cæsumque, cum parte Severiani exercitus ad Propontidem festinavisse jussu imperatoris, quo arctius obsessum Byzantium omni commeatu intercluderetur et acrius urgeretur.

Quidquid id sit, certum est inter annos 190 et 193 Galatiæ legatum fuisse Cilonem, et eam ita administravisse ut postea in ejus clientela et tutela maneret Ancyra, ejus beneficiorum memor potentisque patroni gratiam et fidem aucupata. Exstat Romæ in villa Albani basi statuæ inscriptus, titulus quem Ancyra sui olim præsidis, tum secundum consulis et præfecti Urbi, in honorem exarari jussit (1).

(1) Marini, *l. l.*, n. 165. *C. I. Gr.*, 5896.

Inter legatos Galatiæ recensendus, e titulo Græco Ancyrano, L. Fulvius Rusticus Aemilianus (1). Censuerat Franzius hunc non diversum esse a consule anni 206, cujus nomina in fastis Borghesianis ita componuntur : *L. Fulvius L. f. Gavius Numisius Petronius Aemilianus*. Hanc sententiam impugnat Borghesius (2); quo enim tempore de *tabula honestæ missionis,* quæ Decii Trajani imperatoris nomine inscripta est, commentatus est, non credebat consulem ordinarium anni 206, qui in Digesto et tribus lapidibus memoratur, non diversum esse a L. Fulvio L. f. Gavio Numisio Petronio Aemiliano, cujus mentio fit in lapide Vaticano Maffeiano. Postea autem argumentis, quæ protulit Renierus (3) ad id adductus est ut virum tot nominibus insignem Fastis in annum 206 insereret. Nequaquam autem inde sequitur unum atque eumdem esse virum legatum nostrum et consulem anni 206. Quum enim titulus Vaticanus consulis omnia nomina, quot et quanta erant, complectatur, nec inter eos Rustici nomen inveniatur, veri simillimum est consulem Rustico nomine caruisse. Alio argumento nititur Borghesius, et eo quidem, ut mihi videtur, infirmiore. Quum titulus, quo laudatur Ancyræ Fulvius Rusticus Aemilianus, positus sit a Trebio quodam

(1) *C. I. Gr.,* 4012.
(2) *Œuvres complètes,* t. IV, p. 300.
(3) *Mélanges d'épigraphie,* p. 12.

Alexandro, censet Borghesius hunc Trebium Alexandrum non diversum esse a Trebio Cocceio Alexandro, qui tituli auctor est signati in honorem C. Julii Severi. Quum autem C. Julius Severus ille consul fuerit ordinarius anno 156, difficile est ab eodem viro, Trebio Cocceio Alexandro, dedicatum esse quadraginta post annos alterum hunc lapidem in honorem consulis anni 206. Quæ omnia se recte haberent, nisi mera conjectura initerentur; videmus enim, in titulis Ancyranis, sæpius comparere homines ex hac Alexandrorum domo ortos; memorat et ipse Borghesius alium ex iis, M. Cocceium Alexandrum (1). Potest Trebius Alexander Trebii Coccei aut filius esse, aut nepos; Borghesii argumenta fragili sane fundamento innituntur. Iis confisus, censuerat Æmilianum hunc, qui laudatur Ancyræ, potius virum esse, ad quem, teste Ulpiano, M. Aurelii epistola scripta erat quique hujus principis tempore prætor fuit et alicujus provinciæ præses (2). Hic in probabilibus tantum versamur; Borghesii conjecturæ aut aliorum sententiæ assentiamus, judicandum erit hunc Fulvium Æmilianum oriundum esse e gente nova, quæ nihil videtur commune habere cum veteribus Fulviis Centumalis, Fulviis Flaccis, Fulviis Nobilioribus, sed

(1) *C. I. Gr.*, 4050.

(2) Borghesi, l. l., p. 299. Innititur duobus locis quibus Ulpianus aliquid offert ex hac epistola, quam nunc ad Aemilianum, nunc ad Fulvium scriptam esse dicit (Mai, *Reliquiæ juris civilis Antejustiani*, pp. 51, 47).

circa finem secundi post Christum sæculi innotescere, et tertio sæculo Fastis multos magistratus curules unumque imperatorem inserere (1).

Initio tertii sæculi Galatiæ legatus fuit qui postea imperium adeptus est, D. Caelius Balbinus. Rem discimus non ex titulis et nummis, sed e Julio Capitolino, apud quem hæc leguntur : « Asiam et Africam, et Bithyniam, et Galatiam et Pontum, et Thracias et Gallias civilibus administrationibus rexerat, ducto nonnunquam exercitu (2). » Hic cursum honorum inverso ordine dispositum habemus. Non, ut quidam opinati sunt, in his omnibus provinciis procurator fuerat Balbinus ; qui bis consul fuit, senatoriis muneribus ex initio functus, non equestribus, et tum proconsul, « tum legatus imperatoris pro prætore infinitas provincias, » ut ait Capitolinus, rexerat. Quum vero omnes legati ducendo exercitui pares essent ex ipsa institutione, verbo *civilibus administrationibus*, quod per se subobscurum est, nihil aliud intelligendum nisi Balbinum provinciis præfuisse in quibus gerendi belli occasiones deessent nec solerent consistere legiones. Rem explicat scrip-

(1) Ita constituitur a Borghesio recentiorum horum Fulviorum stemma :

1. L. Fulvius Rusticus Aemilianus, legatus Galatiæ, consul sub M. Aurelio.
2. L. Fulvius L. f. Aemilianus, consul anni 206.
3. L. Fulvius Aemilianus qui Capuano titulo memoratur (Mommsen, *I. R. N.*, 3604).
4. L. Fulvius Aemilianus, consul 244, consul II, 249.

(2) *Hist. Aug.*, Maximus et Balbinus, c. 7.

tor, quum adjicit, post *ducto nonnunquam exercitu* : « sed rebus bellicis minor fuerat quam civilibus. »

Habemus in Fastis secundum Balbini consulatum anno 213; prior ejus consulatus paucis annis anterior esse, et inter Galatiæ, quæ legatum prætorium, et Bithyniæ, quæ legatum consularem habebat, administrationem incidere debet, ita ut Balbinus imperante Severo, circa annos 205-208, Galatiam obtinuerit.

Post Balbinum unum tantum præsidem invenimus, cujus ætas aliquo modo definiri possit. In loco qui hodie *Karabaulo* dicitur, ubi videtur sita fuisse urbs antiqua Pednelissus, inventus est titulus ita conceptus :

Τὸν λαμπρότατον πρεσβευτὴν καὶ ἀντιστράτηγον Αὐφίδιον Κορεσῖνον ἡ πόλις (1).

Pednelissus inter Pisidicas urbes numerabatur (2). Vidimus autem Pisidiam Galatiæ semper adhæsisse et sub Galatiæ legato fuisse. Galatiæ igitur legatum habemus quem facile crederemus non diversum esse a L. Aufidio Marcello qui in Fastis ad annum 226, iterum consul, comparet, nisi in titulo Germanico nobis occurreret Aufidius Coresinus Marcellus, legatus legionis I Minerviæ (3). Hic quidem titulus anni notam non habet, sed positus est dum

(1) *C. I. Gr.*, 4379, d.
(2) Steph. Byzant., s. v.
(3) Gruter, p. 103, n. 11. Orelli, 505.

legatus erat Germaniæ inferioris Fl. Aper Commodianus. Ex alio autem titulo ejusdem provinciæ, qui per insertam consulum mentionem accuratissime definitur, discimus Fl. Aprum Commodianum anno 223 Germaniæ inferiori præfuisse (1). Quis autem credat Aufidium, tribus aut ad summum quatuor annis, potuisse a legatione legionis ad primum, mox ad alterum consulatum evehi? Fac eum adjuverint et opportuna tempora, et favor principis; non potuit tam cito passu curriculum emetiri in quo non nisi per gradus procedebatur. Noster ergo Aufidius Coresinus Marcellus idem esse censebitur ac legatus legionis I Minerviæ anni 222, diversus a consule anni 226. Post gestam in Germania legionis legationem in Galatiam missum fuisse Aufidium verisimile est, ita ut sub Alexandro Severo, circa annum 230, eum Galatiæ provinciæ præfuisse dicamus.

Veniamus nunc ad legatos quorum aut ætas nullo certo indicio definire potest, aut nomen in titulo, qui in eorum honorem dicatus est, jam non comparet.

Inter antiquissimos hujus generis titulos est sine dubio ille quo commemoratur M. Valerius Italus. Ab Orellio ita editus est (2) :

(1) Henzen, 6804. Cf. Borghesi, *Inscr. romane del Reno* (*Œuvres complètes*, t. IV, p. 185).
(2) *I. L. S. A. C.*, 3447.

DIS MANIB
L · LVCCIA L · F · POM
SECVNDO COMITI
M · VALERI · ITALI
LEG · AVG ·

Non autem vidit Orellius, qui ex Heusingero (1) repetebat, comitem neminem dici, Cæsarum tempore, nisi imperatorum et juvenum ex imperatoria domo oriundorum (2). Vix dubium videtur quin non COMITI legendum sit, sed, ut habemus in aliis titulis : COMM*entariensi* (3). Passim invenias et *a commentis*, ut *ab epistolis*. Secundo quoque versu, non *Luccia* sed *Luccio*, ut est apud Lucam, legendum esse quis non videt? Ita fit ut hunc in modum restituatur titulus :

Dis Manib(us). || L. Luccio. L. f. Pom(ptina) ||

(1) *Act. erud.*, Lips., 1769, p. 177.

(2) P. Lucas, qui primus titulum edidit et solus ex lapide (*Voyage du sieur Paul Lucas fait dans la Grèce, l'Asie Mineure, la Macédonie et l'Afrique; Parisiis*, 1712, in-12, II, p. 389), habet COMIT. Ceteroquin apographum ejus vitiosissimum est, ita ut ex nomine legati, quale apud eum extat, non nisi per conjecturam M. Valerius Italus effici potuerit, et vix certum sit legati alicujus hic mentionem fieri. Ita apud Lucam se titulus habet :

DIS MANIB
L · LUCCIO · L · F · POM
SECUNDO COMIT
AANITRIITAIIAVG

Potes non incommode ex ultimo hoc versu nomen M · VALERI ITALI eruere, sed ante AVG deberet occurrere LEG, cujus notæ vestigium nullum superest, si modo Lucæ credimus.

(3) Renier, *Inscr. Alger.*, p. 127, l. 7 : Aufidius Rufus COMMENT. LEGATI.

Secundo Com(mentariensi) || M. Valeri Itali || leg(ati) Aug(usti).

Quod si non hic subessent dubia multa et e conjectura tantum prolata, diceremus ita concisum esse hunc titulum, ita esse omnia ejus verba ad severiorem optimorum temporum normam disposita et accommodata, ut vix Antoninorum tempore recentior sit.

Posterior videtur esse titulus a Grutero (1) ex schedis Douzæ editus, sine loci mentione, et ex Grutero in collectionem Orellianam receptus (2). Ancyræ autem assignat R. Pococke, qui edit ex meliore apographo (3).

L · PETRONIVM.
VERVM LEG AVG
PR PR C M V COS.
DESIG T · IVLIVS.
SELEVCVS ET SEPTI
MIVS VALERIANVS
B B ET CORNICVLA
RI EIVS PRAESIDE..
SANCTISSIMVM.
H · C

Apud Douzam, v. 3, legitur tantum TI....VS. V.4,

(1) P. 450, 6.
(2) 3486. Douzica Gruteri saxa ad Ancyram fere omnia pertinent.
(3) *Inscr. Ant.*, p. 34, n. 12.

verisimile est scriptum in lapide fuisse E T T : *et Titus.* Quum enim ante *Julius* prænomen Titus appareat, consentaneum est et ante Septimii nomen prænomen non omissum fuisse. V. 5, B. B. beneficiarii. V. 6, ultimum elementum verbi *præsidem* aut lapicidæ vitio aut temporis injuria excidit. V. 8, H. C., non, ut vult Orellius, *Hic consecraverunt,* sed *honoris causa* interpretandum est.

Quum in titulis ante ultimos secundi sæculi annos non inveniri soleat appellatio ista : C. M. V., id est *clarissimæ memoriæ vir,* L. PETRONIUM VERUM statuemus aut ad finem vergente sæculo secundo aut ineunte tertio Galatiam administravisse. Quum autem ex nota C · M · V manifestum sit tum quum positus fuit titulus mortuum esse Petronium, inde liquet eum vita functum esse antequam consulatum, in quem designatus erat, iniret. Frustra igitur eum in Fastis quæras.

Nobis nomen tantum notum JULII SATURNINI et POMPONII SECUNDIANI qui in Græcis Ancyræ titulis occurrunt (1). Dignior est, cui paulum immoremur,

(1) *C. I. Gr.,* 4013, 4357. Saturnini cujusdam consularis (ὑπατικοῦ) nomen legitur in lapide ad urbem *Suweida* (Soueida) in provincia Arabia (hodie *Haouran*). *C. I. Gr.,* 4618, b. Eodem loco (4617) titulum habes magni ædificii epistylio inscriptum, ubi notatur tempus consulatu Julii cujusdam Saturnini (erraverunt Franzius et Letronnius quum ἀνθ]υπατεύοντος restituerunt; nunquam enim proconsules habuit Syria) et anno 6, 7, 9, aut 11 imperatoris cujus erasa fuerunt nomina, ita ut nequaquam hic M. Aurelium, ut illi voluerunt, supplere liceat.

titulus Ancyranus ab Hamiltonio descriptus est et his verbis conceptus :

Ἀγαθῇ τύχῃ·
Ἐπὶ τοῦ λαμπρ(οτάτου) ὑπατικοῦ Μίνικ Φλωρεντίου τὸ χρησιμ[ώ]τατον ἔργον τῇ πόλ[ει] γέγονεν (1).

Eo nempe titulo usus est Marquardt ut prædicaret Galatiæ legatos, postquam primum prætorii fuissent, mox consulares factos esse. Quum autem ex omnibus titulis, in honorem legatorum Galatiæ conceptis, unde aliquid de serie munerum, quibus ad hoc tempus functi erant, eruere potuimus, manifestum fuerit semper Galatiam obtinuisse prætorios viros, nihil hic est, si vel paululum ad rem attendimus, quod vel minimam dubitationem movere possit et nostræ sententiæ adversetur. Hamilton, qui formam litterarum accurate reddere non curat, titulosque omnes, cujuscumque ætatis sint, uno et eodem typo exprimit, nihil nos de palæographico aspectu tituli et elementorum indole docet; nihilominus tamen certissimum est hic omnia recentiorem ætatem et Constantino posteriorem redolere. Non *legatus pro prætore* (πρεσβευτὴς ἀντιστράτηγος) audit MINUTIUS FLORENTIUS, sed ὑπατικός, *consularis*. Scriptus est igitur titulus ille postquam Diocletianus et illum secutus Constantinus totam administrandarum provinciarum formam immutaverunt, postquam de

(1) Hamilton, *Research.*, II. *Appendix*, n. 120. *C. I. Gr.*, 4050.

legatis actum est, et per *consulares, præsides, correctores, comites, duces,* regitur orbis. Caveamus ergo ne consulares Galatiæ legatos nobis e Minutii exemplo fingere velimus; vir ille, ceteroquin ignotus, unus est ex iis rectoribus qui, seu vere consulatum gesserint, seu per codicillos consularibus adscripti fuerint, post Diocletianum, ut ex *Notitia dignitatum* aliisque hujus ætatis monumentis liquet, Galatiam Primam administraverunt.

His Galatiæ Romanæ fastis, in quibus tot nomina desiderantur, unum adhuc adjiciemus, e supellectile epigraphica, quam congessimus et retulimus, haustum. In titulo legitur quem Ancyræ, ad *moscheam* (venia sit verbo) *Aslan-Hane* primi omnium, ut mihi quidem videtur, descripsimus. Lapis est altus 1^{m} 50, latus 0^{m} 80. Primorum versuum litteræ altæ sunt 0^{m} 03, ceteræ omnes 0^{m} 02. Initio deest unus certe versus, forsan desunt duo aut tres; duorum priorum versuum litteræ excidere.

ΟΥΤΟΔΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΤΗΛΗΝΚΑΙΤΑΟΝΟΜΑΤΑΗΓΕ
ΝΕΟΝΤΟϹΠΑΛΦΙΟΥΜΑΞΙΜΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΩΜΕΝΟΥΜΠΑΠΙΡΙΟΥΜΟΝ
ΤΑΝΟΥϹΕΒΑϹΤΟΦΑΝΤΟΥϹΗϹΚΛΒΑ
ΒΕΙΝΗϹΝΕΩΤΕΡΑϹΙΕΡΟΦΑΝΤΟΥΝ̄ΟϹ
ΔΙΑΒΙΟΥΙΟΥΛΙΟΥΑΙΛΙΟΥΙΟΥΛΙΑΝΟΥ
ΑϹΚΛΗΠΙΟϹΒΟΡΙΑΝΟΥ
ΤΙΒΒΟΚΧΟϹ ΤΙΒΚΛΞΥΚΙΟϹ

Sequuntur 47 versus qui nihil aliud quam nomina, duplici ordine disposita, continent; eos alio loco edemus. Ita explicit titulus :

. . . .

ΤΗΝΕΙΚΟΝΑΤΟΥΚΥΡΙΟΥΣΕΒΑΣ
ΤΟΥΚΑΙΤΟΝΤΙΤΛΟΝΣΥΝΤΑΙΣ
ΓΡΑΦΑΙΣΤΟΙΣΙΕΡΟΥΡΓΟΙΣ
ΤΙΒΚΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΟΣΕΚΤΩΝ
ϕΙΔΙΩΝΑΝΕΣΤΗΣΕ

. . . .

. . . . . οὗτο[ι] δ' ἀνέθηκαν
τὴν σ]τήλην καὶ τὰ ὀνόματα ἡγε-
μο]νέοντος Π. Ἀλφίου Μαξίμου,
ἀρχιερωμένου Μ. Παπιρίου Μον-
τάνου, σεβαστοφαντούσης Κλ. Βα-
βεινῆς νεωτέρας, ἱεροφαντοῦντος
διὰ βίου Ἰουλίου Αἰλίου Ἰουλιανοῦ.
Ἀσκλήπιος Βοριανοῦ,
Τιβ. Βόκχος, Τιβ. Λεύκιος.

. . . .

. . . .

Τὴν εἰκόνα τοῦ Κυρίου Σεβασ-
τοῦ καὶ τὸν τίτλον σὺν ταῖς
γραφαῖς τοῖς ἱερουργοῖς
Τιβ. Κ. Στρατόνεικος ἐκ τῶν
ἰδίων ἀνέστησε.

Conjicio primis duobus versibus mentionem fieri statuæ imperatoris totius provinciæ forsan nomine

positæ, post sic pergere titulum : hi autem (qui nomen suum posteris servari voluerunt) tabulam poni et nomina sua in ea inscribi curaverunt. Fateri autem debeo in lapide et in ectypo chartaceo quem Ancyræ confectum domi asservo nec vestigium litteræ I, quam supplevi, ullum apparere, nec locum quidem suppetere, nisi forte, quum summa pars litterarum primi versus exciderit, scriptum fuerit Λ pro IΔ; litterarum ligatarum usus in hoc ipso titulo non rarus est. De munere summi sacerdotis, id est summi sacerdotis Augusti, alio loco dicemus, quum in provincialium honores et munera inquiremus; ita quoque de dignitate σεβαστοφαντούσης et ἱεροφαντοῦντος omnis disquisitio postponenda.

Quinque hos versus, qui post longam nominum seriem, majoribus litteris scripti, titulum velut absolvunt, crediderim postea additos, et ad instaurationem aut eversi aut male habiti monumenti pertinere. Non enim dicitur ἀναθείς sed ἀναστήσας Ti. Claudius Stratonicus; quum præterea primis versibus narrentur illi, quorum nomina ad unum enumerantur, tabulam et nomina quæ in ea sunt dicavisse, rem actam agere non potuit Stratonicus, nec intelligimus in qua re sumptum, de quo gloriatur, fecerit, nisi judicamus renovatum ab eo fuisse monumentum quod vetustate aut potius casu aliquo laborasset. Quid proprie significet σὺν ταῖς γραφαῖς non bene video ; incertum an parieti alicujus

ædis aut ædiculæ imagines appictæ fuerint, an anaglypha intelligi debeant basis lateribus insculpta. Τοῖς ἱερουργοῖς vertendum : *ut præsto omnia sint illis qui rem sacram administrant, qui Augusto litant.* Debuissent sacerdos et flaminica Augusti statuam instaurare; illorum vice opus suscepit Claudius Stratonicus, et ita perfecit, ut sacra dehinc per ipsos rite peragi possent.

Titulum autem hunc, vel potius tituli hujusce partem, ea tantum mente hic attulimus, ut nobis ignoti ad hanc diem præsidis nomen suppeditaret. In ætatis imperatoriæ titulis multos Alfios invenimus, nullum autem cujus nomina cum nominibus Alfii nostri bene congruant, nisi illum qui in titulo Tarraconensi laudatur, omnibus, qui his studiis dediti sunt, bene noto, quod mentionem facit prætoris illius *parthicarii,* qui nusquam alibi memoratur, et cujus nomen interpretationem, quæ cuiquam satisfaciat, non admittit (1). Noster vero P. Alfius Maximus, uno tantum cognomine hic designatus, erit, si conjecturam sequimur valde probabilem, ille *P. Alfius P. f. Gal. Maximus Numerianus Licinianus* cujus memoriam servavit Hispaniensis lapis. Cæterum nec in Tarraconensi nec in Ancyrano titulo quidquam invenimus quod ætatem, qua floruit P. Alfius Maximus, definiat pro-

(1) Gruter, CCCL, 7 (Orelli, 3136). Apud Gruterum invenitur (DCCLIII 7) L. Alfius Maximus quidam, qui privatus vixisse videtur.

babili indicio. Hoc tantum dicere possumus, quum nomen *Ælius* in titulo legatur, nomen *Aurelius,* in titulis provinciarum post M. Aurelii tempora frequentissimum, nusquam inter tot nomina occurrat, positum fuisse titulum aut Antonino aut M. Aurelio imperante. Cum hac conjectura convenit forma litterarum satis elegantium et non sine summa cura incisarum, sed apicibus ornatarum et nonnullis in locis ductibus legatis inter se adhærentium.

In alio quoque titulo a nobis primum exscripto, quem hic edemus, latitat forsan legati alicujus Galatiæ nomen, temporis injuria ita male habitum ut vix conjectura restitui possit. Lapis in muro Ancyræ, qua ad Orientem spectat, infixus est, ita celso loco ut manu contingi nequeat et ægre legatur; elementa aut elementorum vestigia, qualia ea invenimus in nostris schedis, ita transcribimus :

D M S
ALPVRNIAEZOTIC
ANNIVSFLAVIANVS
OICIICIORVIID/////////
OIIIONISLEGGAL
ONIVGIBMVIXI
NN.XV.MENS.V
DIEBXVIII.QVAE
PARTVPRIMOPOST
DIEMXVIREIICIC
FILIODECESSIT

Quum nonnullæ litteræ aut desint aut in apographo per inconcinnos ductus tantum repræsentari potuerint, titulum totum restituemus :

D(is) M(anibus) S(acrum
C]alpurniae Zotic[ae
P?] Annius Flavianus
ex officio Rutili
Fr]ontonis leg(ati Gal(atiae
c]onjugi b(ene) m(erenti) : vixi[t
a]nn(is) quindecim, mens(ibus) quinque
d]ieb(us) octo et decem; quae
partu primo post
diem sextum decimum relicto
filio decessit.

Versus 4 et 5 ita scriptos fuisse conjicimus :

EXOFFICIORVTILI
FRONTONISLEGGAL

Formula *ex officio,* licet eam non alias reperiam, nihil habet quod quemquam offendat, quum tot aliæ similes passim in titulis et scriptores invenian-tur, *ex beneficiario, ex comite, ex corniculario,* cæteraque multa ejusdem generis; ea designatur qui olim fuit apparitor vel officialis legati. Fateor tantum ex duobus elementis, quibus versus incipit, qualia ea exhibet apographum meum, difficile effici EX. Cætera melius conveniunt et facilius emendantur. Duo solum elementa restituas initio versus 5, et fere

omnibus versibus aliquid in hoc latere deest, aptissime et paucis ductibus suppletis, habes cognomen *Frontonis*, quum ejusdem viri *gentilicium* versus 4 finem adimpleat. Quidquid de his conjecturis et supplementis sentiant viri docti, alius titulus exspectandus est, qui eadem nomina contineat, antequam in seriem legatorum Augusti provinciæ Galatiæ Rutilium Frontonem audeamus inserere.

Titulus quoque hic non omittendus qui legati totam vitam et omnes honores nobis repræsentat, quem autem ita affecit ætatis injuria ut primi versus, in quibus ipsius legati nomen inscriptum erat, cum parte lapidis fracti perierint. Cum Hamilton, ex quo repetiit Le Bas, describendo titulo parum curæ adhibuisse videatur, hic nostrum apographum exhibebimus. Lapis, in muro castelli interioris (*Itch-Kale*), omnium oculis obvius est. Litteræ, 0^{m},04 altæ, longiores sunt et angustiores.

LEG·$\overline{\text{III}}$·AVG·QVAESTORI.AEDILI
PLEBEI·PRAETORI·PROCOS·PONTI
ET·BITHVNIAE·PRAEFECTO·FRVM
DANDI·LEG·LEG·$\overline{\text{VI}}$·FERRATAE
LEG·AVGVSTORVM·PR·PR·PRO
VINC·GALAT ITEM·PROVINC
CILICIAE·RARO·ET·SANCTISSIMO

qui titulus ita restituendus est :

(1) Hamilton, II, *Appendix*, 115. Le Bas, *Voy. Arch.*, *Asie Mineure*, n. 1788.

[*tribuno militum*]
Leg(ionis) tertiæ Aug(ustæ), quæstori, ædili
plebei, prætori, proco(n)s(uli) Ponti
et Bithyniæ, præfecto frum(enti)
dandi, leg(ato) leg(ionis) sextæ ferratæ
leg(ato) Augustorum pr(o) pr(ætore) pro-
vinc(iæ) Galat(iæ), item provinc(iæ
Ciliciæ, raro et sanctissimo
[*præsidi*]

Non fuerunt ante M. Aurelium et L. Verum duo simul Augusti. Titulus ergo his imperatoribus antiquior esse nullo modo potest. Recentior haberi posset, quum aut duos, aut tres simul Augustos posteriori tempore viderit Romanus orbis, nisi occurreret in titulo mentio proconsulatus Bithyniæ, ad quam paulisper attendamus necesse est. Constat enim inter doctos, inde ab anno 103 in Pontum et Bithyniam jam non missos fuisse proconsules, sed legatos imperatoris pro prætore, quum senatus, cui adimeretur a Trajano provincia Pontus et Bithynia, in ejus locum Pamphyliam accepisset (1). Post Trajanum unus tantum in titulis occurrit *proconsul Ponti et Bithyniæ*, L. Cœlius Festus, Caracalla imperante (2). Hac ætate igitur aliquid in ad-

(1) Marquardt, *Handbuch der Römischen Alterthümer*. III, p. 149, not. 83.

(2) Orelli, n. 77. Caracallæ, non Antonii Pii legatum fuisse Cœlium Festum demonstravit Borghesius. Vide *Œuvres complètes*, t. IV, p. 128, note.

ministratione illius provinciæ immutatum fuit, et provincia senatui restituta; non autem diu in senatus potestate mansisse testantur tituli complures tertii sæculi quibus laudantur legati imperatoris pro prætore provinciæ Bithyniæ. Conjiciendum igitur nostrum hunc titulum in intervallum temporis cadere quo, circa Caracallæ tempora, proconsulibus reddita fuit Bithynia.

Ex industria titulum omisimus, allatum a Grutero, qui legati Galatiæ nomen, ut videtur, nobis ministrat (1); confictum enim esse multa demonstrant. Hunc in modum scriptus est :

Herculi || Pacifero || et Musis || L. Fab. Valerianus || pr. pr. prov. Gala... || proc. prov. Afr. || vis.... admonitus || rediens || v. s. d. s. l. m. |

Fab. pro *Fabius* exemplo caret. Versu 5, *legatus* ante *pro prætore* omitti nullo pacto poterat. *Proc.* significat *procurator*, nunquam *proconsul.* — Plura hic occurrunt quæ suspicionem moveant, quam ut istius tituli ullus respectus habendus sit.

Legatis, quorum, ut potuimus, seriem restituere tentavimus, adjuncti erant procuratores, qui apud legatos Augusti eodem officio fungebantur atque apud proconsules, in provinciis senatui reservatis, quæstores. Procuratoribus Galatiæ, ne moveamus

(1) Gruter, MXIII, 4, ex Ursino. Ursinus multa ex Ligorianis schedis hausit.

lectori fastidium, non immorabimur; eorum non raro in titulis mentio fit, quorum unus, jam a nobis allatus, imprimis dignus est cujus meminerimus (1). Ostendit enim, primo saltem imperii sæculo, non semper diversis gentibus, quæ a Galatiæ legato pendebant, diversos assignatos fuisse procuratores, sed aliquando unum fuisse toti provinciæ præpositum, qui ejus reditus colligeret, et ἐπίτροπος Καίσαρος Σεβαστοῦ Γαλατικῆς ἐπαρχείας, *procurator Augusti Galatiæ provinciæ* diceretur. Titulus Iconii, in Lycaonia, inventus et descriptus est, quamque dignus sit, cujus rationem habeamus, alio loco declaravimus (2). Quod ad alios attinet in quibus Galatiæ procuratores memorantur, satis erit si lectorem ad eos amandaverimus. Habemus in Apolloniensi titulo (3), habemus in Ancyranis (4), et in titulis diversæ originis (5). Quum aliquo casu legatum non haberet provincia, quum præsidem aut morbi vis a negotiis amoveret aut subita mors interciperet, partes sustinebat legati procurator, et *vice præsidis*, ut passim in titulis legitur, provinciam regebat (6). Erant

(1) *C. I. Gr.*, 3991.
(2) Cap. II, p. 37.
(3) *C. I. Gr.*, 3969, 3970.
(4) *C. I. Gr.*, 4036, 4037, 4038. — Muratori, p. 907, n. 4 (Ex Tournefortii schedis). Le Bas, *Voy. arch.*, III, 176. Gruter, 402, 4.
(5) Vide titulum Ephesianum apud Muratorium, 2026, 4, a Marinio correctum (*Atti*, 766 a); Sardinianum (Muratori, 695, 1).
(6) Muratori, 907, 4. Marini, *Atti.*, II, p. 766[b]: C. Iul. Senecionem, V. E. proc. prov. Galat. item vice præsidis eiusd. prov. et Ponti Zeno Aug. lib. tabular. prov. eiusd. præposito incomparabili. Cf. Orelli, 5530, 3558.

etiam in provincia *procuratores rationum privatarum Augusti*, qui bona principum administrabant, et *procuratores familiarum gladiatorum* (1), quorum diligentiæ commissæ erant familiæ gladiatoriæ quas in quibusdam urbibus ali et educari curabant principes, ut ex illis accirent in Romanis amphitheatris pugnaturos et morituros. Invenias et *procuratores vigesimæ hereditatum* (2). Certis autem unius provinciæ finibus non concluditur auctoritas procuratorum illorum, quales sunt procuratores rationum privatarum, aut vigesimæ hereditatum, et in tot provincias sæpe extenditur, quot commode administrare potest eques Romanus cui hoc aut illud officium concreditur (3).

Quod ad officia minora pertinet, in titulis jam supra allatis habes *commentarienses* legati (4), *tabularium provinciæ* (5), qui inter libertinos elegi potest. In titulo præterea, quem Ancyræ primi descripsimus, *scriba* nominatur, quem, quum Latine laudetur et ipse uxorque ejus Latina tantum nomina habeant, civem Romanum et ex Italia oriundum, non civem Ancyranum et Ancyranis magistratibus famulatum fuisse credimus.

(1) Muratori, 2026, 4. Gruter, 402, 4.

(2) Orelli, 6940.

(3) Quam late patere potuerit istiusmodi procuratorum auctoritas abunde indicium dabunt tituli, quos habes apud Orellium sub numeris 3574, 3835, 3972, 798, 6940, 5530, 6932, etc.

(4) Orelli, 3486, et titulum quem attulimus p. 123, si ita legendus est ut eum restituimus.

(5) Marini, *Atti.*, p. 766b.

C·FLAMINIO·C·F
POL · SEVERO
SCRIBAE
VIXITAN·
LX·MEN·

C. Flaminium Severum legatis Galatiæ, qui alius alium excipiebant, ab epistolis fuisse credimus; quum tertio quoque anno mutaretur provinciæ præses, oportebat maneret aliquis in provincia et velut in statione, qui res ab antecessore gestas cum novo legato communicaret, qui incepta negotia continuaret et tandem ad exitum perduceret.

CAPUT IV.

CONDITIO URBIUM, RITUS ET OFFICIA PROVINCIALIA; VITA ET MORES PROVINCIAE.

Postquam de magistratibus, qui ex Urbe in provinciam mittebantur, diximus, oportet breviter statum variarum urbium et provincialium vitam, ritus, officia adumbremus.

Apud omnes, qui in senatus et imperatorum Romanorum instituta inquisivere, constat hoc nunquam omisisse Romanos, quum provinciam aliquam subegissent et imperio populi Romani adjecissent, ut non omnes provinciæ gentes, non omnes urbes una formula complecteretur, sed gentium et urbium diversa esset conditio. Ita fiebat ut non omnium æque interesset amissam libertatem recuperare, et essent semper in provincia qui, si de rebellione agitaretur, metu concessa jura amittendi retinerentur et ceterorum, novis rebus studentium, conjurationem Romano præsidi notam facerent et impetum

frangerent. Quo pacto in Italia imprimis, Gallia, Hispania, hanc normam secuti sint Romani, postquam feroces et bello assuetos populos domuerunt, sæpius historici ostendere; Asiaticas autem provincias quum Romani in ditionem suam redegerunt, vix timeri poterat, præsertim post Mithridatis Eupatoris mortem et subactum Pontum, ne unquam de rebellione cogitarent gentes jam diu regibus assuetæ et quæ oblatam sibi libertatem non semel fastidierant. Non tamen, ut sentiet quicunque Galatiam provinciam lustraverit, ibi quoque ab instituto antiquo Romani duces, qui primi harum provinciarum statum ordinavere, omnino recesserunt.

Tres Galatarum gentes, vel post constitutam provinciam, proprio et peculiari vinculo sociatas mansisse demonstrant et titulus, de quo jam disseruimus, antæ sinistræ Augustei inscriptus, et nummi ærei a Nerone ad Trajanum cusi, in quibus legitur ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ vel ΓΑΛΑΤΙΑΣ (1). Hoc *Galatarum Commune* (Κοινὸν Γαλατῶν) monumentum, ut vidimus, pulcherrimum et amplissimum magno sumptu exstruxit, et ludos Ancyræ edebat, quibus præsidebat ὁ Γαλατάρχης, de quo plura alio loco afferemus. Simul unaquæque trium gentium, Tectosages dico, Trocmos et Tolistobogos, sua, ut videtur, solemnia habebat, et in suam urbem, quæ caput

(1) Mionnet, IV, 374-376. *Suppl.*, VII, 631-633.

gentis erat, certis diebus conveniebat, quum una quæque earum nummos suo nomine signaret. Ceteræ autem gentes, quæ in eadem provincia sub legato Galatiæ erant, extra hujusce fœderis fines manserant, nec ullo modo, ut videtur, pertinebant ad Commune Galatarum. Quod ad Lycaoniam attinet, res manifesta est, nummorum testimonio plane demonstrata. ΚΟΙΝΟΝ ΛΥΚΑΟΝΙΑΣ in Iconiensibus nummis legi jam diu vidit Eckhel (1). Ut *Commune Lycaonum*, ita fuisse *Commune Pisidarum*, *Commune Isaurorum* etc., etsi nullo adhuc monumento res extra dubitationem posita sit, jure tamen, si analogiam sequimur, conjiciemus (2).

Liberarum et sociarum civitatum nomen duæ tantum urbes habuisse in provincia tota videntur, Termessus scilicet et Sagalassus (3). Plures colonias habuit Galatia. Germe (*colonia Augusta felix Germenorum*) nomen coloniæ in nummis inde a Commodo gerit (4), unde conjecerunt eam colonos a Commodo accepisse; in nummo tamen Domitiani Germeno typus comparet, sacerdos capite velato duos boves regens, quem vulgo coloniarum proprium fuisse jam

(1) *D. N. V.*, III, p. 32.

(2) Isaura in nummis dicitur μητρόπολις Ἰσαύρων (Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 29) et Sagalassus in lapidibus sicut et in nummis πρώτη Πισίδων, πρώτη Πισιδίας (Eckhel, *D. N. V.*, IV, p. 271. *C. I. Gr.*, 4368).

(3) Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 27 et *plebiscitum de Thermensibus* apud Dirksen, *Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Römischen Rechts*, 1823. p. 437. *Corp. Inscr. Lat.*, vol. I, n. 204. Eckhel, *D. N. V.*, IV, p. 271. *C. I. Gr.*, 4368, φίλη καὶ σύμμαχος Ῥωμαίων.

(4) Eckhel, *D. N. V.*, IV, p. 178.

inter omnes constat (1). Apud scriptores cum nomine hujus urbis, quod nunc Germe, nunc Germa scribitur, conjungi solet titulus *colonia*. Germe in Galatia propria, in ipsis Tectosagum et Tolistobogorum (2) finibus sita erat, quum hodie adhuc nomen vix mutatum, *Yerma*, vico Turcico adhæreat.

In Lycaonia Iconium coloniæ nomen et jus accepit, a Claudio, ut videtur, quum sibi nomen *Claudiæ* indat in nummis et titulis (3). In Lycaonia quoque sita est Parlais quæ *Iulia Augusta Colonia Parlais* in nummis dicitur, unde conjecerunt ab Augusto conditam fuisse coloniam; nummos autem hujus urbis nonnisi a M. Aurelii tempore signatos habemus (4).

In Pisidia militum Romanorum colonias acceperunt, ut in monumento Ancyrano ipse Augustus testatur, urbes quæ in hoc titulo non nominantur, quarum autem conditio ex aliis documentis notissima est, Antiochia et Cremna (5). *Colonia Cæsarea Antiochia* et *Colonia Iulia Augusta Felix Cremna* sæpius sive apud scriptores, sive in titulis et nummis recurrunt (6).

(1) Mionnet, *Suppl.*, VII, p. 642.

(2) Ptolem., Γέρμη κολωνία. *Notit. ecclesiast.*

(3) Eckhel., *D. N. V.*, III, p. 31. Κλαυδεικονιέων ὁ δῆμος in titulo Iconiensi, *C. I. Gr.*, 3991. Cf. 3993. Quum in nummis quoque *Coloniu Aelia Iconiensis* dicatur, forsan ab Hadriano aucta fuit. Mionnet, III, p. 535, n. 13.

(4) Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 34.

(5) Ἀποικίας ἐν......... Πισιδίᾳ στρατιω[τ]ῶν κατήγαγον. Gr. XV, v. 18-20.

(6) De Antiochia vide Plin., *H. N.*, V, 27 : «Pisidæ... quorum colonia

Totius provinciæ, quæ gentes, quas enumeravimus, continebat, caput erat Ancyra. Ibi sedem suam habuisse legatum *imperatoris*, inde eum provinciæ invigilavisse et suis eam edictis rexisse omnia demonstrant, nomen μητρόπολις quod sibi et in nummis et in titulis Ancyra vindicat (1), templum Ancyræ totius Galatiæ nomine in honorem Augusti et Romæ exstructum, statuæ in eadem urbe et præsidibus, et imperatoribus dicatæ, titulique quam plurimi, tum Græci, tum Latini, eorum memoriæ consecrati. Qualis fuerit hæc Ancyræ conditio et dignitas, etiamsi non testarentur nummi et tituli, ex aliis indiciis facile dignoscere potuissemus. Ex ipsa enim ruderum inspectione, ex tot epistyliorum per recentioris urbis casas, muros et cœmeteria dispersis reliquiis, manifestum est, illi qui Pessinuntis et Tavii rudera conspexit et perlustravit, nullam aliam fuisse in provincia urbem quæ tot et tantis ædificiis, templis, basilicis, porticibus, columnis ornata esset. Etiam nunc multo plura antiquitatis vestigia Ancyræ supersunt quam in locis ubi fuere Pessinus et Tavium, quum interim Ancyra, ut in eis regionibus, urbs incolis frequens esse nunquam desierit, et

Cæsarea, eadem Antiochia. » Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 18. *C. I. Gr.*, 1586, v. 23 et quæ annotat Böckh., 2811 b : Ἀντιοχέων Καισαρέων Κολωνῶν. De Cremna Eckhel, *D. N. V*, III, p. 20. Strabo, XII, 6, 5. Τὴν μὲν οὖν Κρῆμναν ἄποικοι Ῥωμαίων ἔχουσιν.

(1) Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 177. *C. I. Gr.*, 4011 : ἡ μητρόπολις τῆς Γαλατίας Σεβαστὴ Τεκτοσάγων Ἄγκυρα. Cf. 4020, 4030, 4042, 5896.

contra inter Pessinuntis et Tavii ruinas vix paucæ paganorum casulæ emineant. Debuit ergo populi Ancyrani vita, per tot annos fere sine intermissione prorogata, debuerunt nova et ampla ædificia, Byzantina et Turcica ætate exstructa, debuerunt privatæ tot sæculorum et hominum casæ maximam partem antiquorum lapidum absorbere et in fragmenta et frusta paulatim concidere ; nullam tamen urbem vidi, nisi Romam et Athenas, in qua plures Romanæ vetustatis reliquiæ oculis ex omni parte occurrant ; ibi quoque, ut ait Tullius, « quocumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. »

Superest et aliud indicium, ad quod attendamus necesse est. Non alia est, ut mihi videtur, in tota Asia urbs ubi tot tituli, Latina lingua concepti, inventi fuerint. Inde æstimare licet quam multos seu negotiatores externos, seu legatorum et procuratorum comites, ex Occidentalibus provinciis oriundos, Ancyram adduxerint et urbis opulentæ commoditas et late patentis provinciæ administratio.

Ancyræ etiam, Cæsarum tempore, a Tiberio ad Gallienum et Saloninam, longe plures nummos habemus quam aliarum Galaticarum urbium. Pessinuntis nummi, et ipsi satis communes, sed numero et varietate typorum Ancyranis nequaquam comparandi, ab Augusto ad Getam excurrunt. Tavianos paucos tantum habemus, quorum antiquissimi M.

Aurelio, recentissimi Helagabalo imperante signati sunt (1).

Quomodo, sub legati oculis, Ancyra sicut aliæ urbes quæ imperio populi Romani continebantur, αὐτονομίαν suam servaverit et fere liberæ civitatis speciem exhibuerit, ex titulis cognoscimus. Gentis Tectosagum senatus ex illis opulentis et primoribus civibus constabat, qui in Occidente decuriones nominabantur; in decretis urbis aut gentis nomine latis cum populo non semel memoratur : ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Σεβαστηνῶν Τεκτοσάγων (2). Sæpe quoque populi comitia habita esse testantur tituli ; in multis lapidibus hæc formula recurrit : τιμηθέντα ἔν τε ἐκκλησίαις καὶ βουλῇ (3). Ex Pessinuntio titulo, qui in unius ex optimatibus hujusce urbis honorem dicatus est, omnia fere, quæ de constitutione Ancyrani populi exponimus, et de Pessinunte vera esse liquet; eamdem in utraque civitate administrationis formam fuisse, eosdem magistratus et honores civium ambitioni propositos, eadem præmia attributa fuisse intelligimus (4). Taviorum res eumdem ferme in modum constitutas fuisse jure conjicias,

(1) Mionnet, t. IV, p. 375-406. *Supplément*, t. VII, 631-657.
(2) *C. I. Gr.*, 4010, 4012, 4015.
(3) *C. I. Gr.*, 4019, 4024, 4026, 4032 : In uno titulo invenis verbum συναρχία quo designatur, ut mihi videtur, collegium senatorum omnium qui eodem anno hoc munere fungebantur. Ita conceptus est titulus : Κλαυδίου Πρόκλου συναρχίας δ. Sensus est : Claudii Procli, qui in quarti anni senatu fuit. Quomodo computarentur hæc senatuum series, omnino ignoramus. De συναρχίαις vide *C. I. Gr.*, t. I, p. 610.
(4) *C. I. Gr.*, 4085.

quum ad nos Taviani tituli, nisi sepulchrales, nulli fere pervenerint.

In quatuordecim certe, forsan in paulo plures tribus divisus erat populus Ancyranus; summam numeri tribuum nusquam habemus, sed quartæ decimæ in titulo mentio fit (1). In titulis, quando lapis integer est, tribus et nomine et adjuncto numero designatur. Occurrunt in Ancyranis nummis tribus : *tertia*, φυλὴ γ̄ Μηνοριζειτῶν (2); *quinta*, φυλὴ ε̄ Διαγεζῶν, nomen quod Franzio jure suspectum est (3); *sexta*, φυλὴ ϛ Σεβαστή (4); hic ipsius urbis et gentis cognomen quum habeas, conjicere potes inde hanc tribum Augustam vocari, quod eam urbis partem complecteretur in qua situm Augusteum esset; *octava*, φυλὴ η̄ Κλαυδία ...λία, quod expleam Κλαυδία [Ιου]λία (5); *nona*, φυλὴ ἐνατὴ Ἱερὰ Βουλαῖα, φυλὴ θ̄ ἱερὰ Βουλαῖα (6); *undecima*, φυλὴ ια̅ νέα Ὀλύμπια (7); *tertia decima*, φυλὴ ιγ̅ Καλαθηναῖα (?) (8); *quarta decima*, φυλὴ δι̅ (9). In alio denique titulo habes nomen φυλῆς Μαρουαραγηνῆς (10). Numerus adjunctus periit. Qui in Celticis aliquid vel vident, vel certe se videre

(1) *C. I. Gr.*, 4018.
(2) *C. I. Gr.*, 4021.
(3) 4020.
(4) 4027, 4031.
(5) 4032, 4022, numerum habes sine cognomine
(6) 4026, 4024.
(7) 4019.
(8) 4017.
(9) 4018.
(10) 4025.

affirmant, in hæc nomina, Μαρουαραγηνή, Διαγέζας, inquirant; hæc illis tractanda relinquemus. Suus uni cuique tribuum *phylarcha* (φυλάρχης) aut dux tribus erat, suus *quæstor* (ταμίας), quorum alter ludis præsidebat quorum faciebat sumptus ærarium tribule, quæstoris diligentiæ commissum (1). Occurrunt tituli in quibus civis, qui a tribu sua honoratur, tribus filius, υἱὸς τῆς φυλῆς, vocatur (2).

In iis titulis, quibus memorantur gradus per quos ad summos in civitate honores civis aliquis Ancyranus evectus est, post phylarchiam semper *astynoniam* invenimus (3); illi, ut videtur, qui regendæ tribui parem se gesserat et civibus suis in hoc officio satisfecerat, urbis totius administratio concredebatur.

Aliorum munerum mentio fit, quibus, in hoc municipalium honorum cursu, non ita certus locus videtur assignatus fuisse. *Agoranomia* tum ante phylarchiam, tum post astynomiam recensetur (4). *Irenarchæ* (εἰρηνάρχης) (5) et *Helladárchæ* (ἑλλαδάρχης) (6) quod revera officium fuerit, nondum bene exploratum est. Primi urbis magistratus erant *Archontes,* quorum numerus nobis non notus est:

(1) 4019, 4020, 4026, 4031, 4032, 4069.
(2) 4018, 4019.
(3) 4019, 4026, 4069, 4085.
(4) 4032, 4085.
(5) 4020, 4085.
(6) 4021.

scimus autem unum inter illos fuisse qui πρῶτος ἄρχων diceretur et collegio præesset (1).

Nec civilibus tantum officiis, sed sacerdotiis quoque honorabatur vir, quem ad capessenda civitatis munia et fama majorum, et largæ opes, et ambitionis stimulus urgebant. Occurrunt in titulis *sacerdos Cereris* (2), variorum ludorum *Agonothetæ* (3), *Flamen Augustorum* (Σεβαστοφάντην θεῶν Σεβαστῶν) (4), qui sæpe hoc munere, dum viveret, fungebatur, *flaminica Augustorum* (5) (Σεβαστοφάντις), et *Hierophantes* (ἱεροφάντης) (6) de cujus officio nihil memoriæ traditum.

Non ab urbe tantum et civibus Ancyræ, sed a tribus populis conferebantur munera quæ totius gentis nomine gerebantur, *Galatarchia* scilicet et *Summum Sacerdotium Galatiæ* (7). Diversum esse Galatarcham a Sacerdote Galatiæ demonstrant et titulus in quibus separatim Galatarchia et Sacerdotium Galatiæ recensentur (8), et analogia Asiæ provinciæ, cujus Asiarchæ et sacerdotes et multis titulis et nonnullis scriptorum locis notissimi sunt. Nuperrime, in doctissimo ad Æzaniticum

(1) 4017, 4020. Potuit et συναρχία dici collegium illud archontum.
(2) 4020.
(3) 4026.
(4) 4016, 4017.
(5) 4017, 4031 et in titulo quem edidimus p. 129.
(6) In titulo p. 129.
(7) Ibid.
(8) 4016. Γ. Φλ. Γαϊανόν.... ἀρχιερέα τοῦ κοινοῦ τῶν Γαλατῶν, Γαλατάρχην.

titulum excursu (1), ostendit Waddington quid essent Asiarchæ, quid summus provinciæ sacerdos, quid inter illos et hunc interesset. Videtur ἀρχιερεῖ Ἀσίας cura demandata esse, post exstructum Pergami in honorem Augusti et Romæ templum, ut votis præesset quæ in hac æde totius provinciæ nomine nuncuparentur et sacris quæ ibi conficerentur. In aliis quoque provinciæ urbibus exstructa sunt, si non templa, at certe ædiculæ et aræ numini Augustorum dicatæ, ad quas litarent sacerdotes Augusti municipales, viri et feminæ. Summi sacerdotis templi illius, quod non ab hac aut illa urbe, sed a Communi Asiæ dedicatum esset, erat providere ne in ulla provinciæ parte sine justa cærimonia Romæ et *domus divinæ*, ut aiebant, numen coleretur. Inde sensim, ut videtur, in usum venit ut summus ille Augusti sacerdos provincialis non solum Augusti templis et aris invigilaret, Augusti sacerdotes regeret, sed ejus auctoritas in omnium Deorum templa, in omnes provinciæ sacerdotes, cujuscumque numinis ministri essent, quodam modo extenderetur. Ita factum est ut, exempli gratia, in provincia Asia, sacerdos ille quem Ἀρχιερέα Ἀσίας vocant tituli et scriptores, auctoritatem consequeretur et obtineret Christiani archiepiscopi, qualis nunc est, auctoritati non absi-

(1) Ap. Le Bas. *Voy. arch.* part. V., Explication des Inscriptions, ad n. 885

milem. Jure conferri summum provinciæ sacerdotem et archiepiscopos Christianos vel inde apparet quod, eo tempore quo ordinari cœpit Christianus orbis et in ecclesiasticas provincias dividi, summi sacerdotis provincialis, quocumque nomine appellaretur, *sacerdos provinciæ*, *prætor* ut in Etruria, *sacerdos ad aram Augusti*, *flamen provinciæ, coronatus*, Ἀρχιερεύς, in locum successit metropolitanus, ut dicebant, provinciæ archiepiscopus, et ex ea urbe catholicus clerus rectus est, ex qua olim Augusti sacerdos ne aliquid in ritu extra ordinem novaretur et ne templa negligerentur prospiciebat.

Asiarcha non sacerdos erat, sed ludis præpositus quos edebat provincia, et quæ κοινὰ Ἀσίας dicebantur; partem certe impensæ, quæ sine dubio permagna erat, et forsan interdum totam impensam Asiarcha propriis opibus sustinebat, ita ut non posset munus illud aut expeti aut accipi a viro qui non amplis divitiis polleret. Ex iis omnibus, quæ congessit et attulit Waddington, manifestum est et Ἀρχιερεῖς Ἀσίας et Ἀσιάρχας per urbis legatos (συνέδρους) et proconsulem designatos fuisse, ita ut proconsul eligeret inter nomina candidatorum, qui a legatis laterculo inscripti fuissent, eum qui hoc honore dignissimus videretur.

Sacerdotibus Asiæ et Asiarchis, quorum nomen et officium apud scriptores et in titulis sæpissime recurrit, ea mente immorati sumus ut Galatiæ Ro-

manæ instituta, de quibus multo pauciora memoriæ tradita sunt, exemplo vicinæ provinciæ illustraremus. *Summus Galatiæ Sacerdos* (ἀρχιερεῦς τοῦ κοινοῦ τῶν Γαλατῶν (1), et simpliciter ἀρχιερεύς) (2), in titulis Ancyranis sæpe comparet, et ejus officium vocabulo ἀρχιεροσύνη designatur, ut liquet e titulo, quem nemo antea legerat, quemque exaratum invenimus in facie dextræ antæ Augustei. Quum dextra anta dedicationem templi contineat et ludorum in honorem Augusti eodem tempore institutorum memoriam, in anta dextri lateris inscripta erant nomina eorum qui, dum sacerdotio fungerentur, ære collato tectum templi, aut infectum absolvissent, aut vetustate labefactatum denuo instauravissent. Litteræ enim hujus tituli litteris dedicationis recentiores videntur esse, ita ut libentius crediderim hic de reparatione, quam de ædificatione templi testimonium nobis asservatum esse. Quidquid id sit, titulus incipit in quinto lapide, si a mæandro, qui inferiorem muri partem ornat, initium facias et ad culmen tendas.

Litteræ altæ $0^{m},06$.	ΟΙΥΠΟCΧΟΜЄΝΟΙЄΝΤΑΡC
— $0^{m},05$.	ΑΡΧΙЄΡΟCVΝΑΙCΥΠЄΡΤΩΝ ЄΠΙΔΩΜΑΤΩΝЄΡΓΑ
— $0^{m},04$.	ΚЄΙΟCCЄΛЄΥΚΟCΑΡΧΙЄΡЄΥCΘЄΟΥ CЄΒΑCΤ ////// ΟΥΚΡΙΠΤΟΥΛЄΥΚΟΛΙΘΟΝ ΝЄΛΙ

(1) *C. I. Gr.*, 4016, 4017, 4031.
(2) In titulis ineditis quos attulimus p. 129 et p. 153.

Continuabatur titulus, litteris minutis, in quarto lapide; sed vix rara elementa apparent e quibus nullum verbum eruimus. Titulus ita legendus:

Οἱ ὑποσχόμενοι ἐν ταῖς
ἀρχιεροσύναις ὑπὲρ τῶν
ἐπιδωμάτων ἔργα:
Κεῖος Σέλευκος ἀρχιερεὺς Θεοῦ
Σεβάσ[τοῦ] . . . . . λευκόλιθον.

Penultimam litteram primi versus scripsi qualem invenio in apographo meo; dubium autem non videtur quin aliquo lapidis vitio in errorem inductus fuerim et TAIC revera scriptum in anta fuerit. Quid quarta linea post σεβαστ[οῦ] legendum sit, non video; manifestum tamen est ibi fieri mentionem operis alicujus quod e marmore faciendum curavisset sumptu suo Seleucus.

Ex lapide quem supra attulimus, pagina 129, liquet illorum Galatiæ Sacerdotum nomine sæpe in titulis annos designari (ἀρχιερωμένου Μ. Παπιρίου Μοντάνου), ita ut crediderim hujus generis sacerdotum nomina comparere in titulo sinistræ antæ, ubi commemorantur ludi, ut videtur, quinquennales ad Augusteum celebrati. Unius cujusque celebrationis et oblatorum donorum atque spectaculorum laterculo præfixus est nomen viri: 'Επὶ Μετέλλου. Επὶ Φρόντωνος. Επὶ Σιλουανοῦ. 'Επὶ Βασιλᾶ. Quatuor Galatiæ sacerdotum, qui primo post subactam Galatiam sæculo hoc

officio functi sunt, nomina hic nos habere veri simillimum est.

Talem vere fuisse, qualem diximus, personam quam sustinebat sacerdos Galatiæ, et eum in omnibus provinciæ sacerdotibus quodam modo jus et auctoritatem habuisse, quod ex analogia conjeceramus, diserto testimonio confirmat epistola Juliani imperatoris ad Arsacium quemdam, ἀρχιερέα Γαλατίας, scripta (1). His Arsacium verbis Julianus alloquitur, quibus Christianus imperator aut potius summus Romæ pontifex episcopum alloqui potuisset. Eum docet quales homines templis præficere debeat, qualem vitam, quales virtutes ab iis expetere, quæ ob vitia, quas ob culpas Deorum ministri, si eas admiserint, officio suo privandi sint, et ab aris, quas contaminant, arcendi. Jam tum fuisse Ancyræ episcopos memoriæ traditum est; ad ἀρχιερέα Galatiæ tanquam ad episcopum gentilium scribit Julianus.

Quod ad *Galatarcham* attinet, quum Ancyræ congregarentur qui, ut videtur, non e tota provincia, sed e tribus veteris Galatiæ partibus conveniebant, illi concilio, ut videtur, præsidebat, ejusque decreta obsignabat Galatarcha. Quod ad ludos attinet, licet separatim in titulo, qui Flavio Gaiano dedica-

(1) *Epist.*, 49. Exstat ejusdem imperatoris epistola (63) ad Theodorum, quem ἀρχιερέα Ἀσίας fecit. Duabus his epistolis collatis, facile agnoscas provincialis sacerdotis, seu Galatiam, seu Asiam regeret, eamdem fuisse dignitatem, idem munus et officium.

tus est (1), commemoretur hinc ἀγωνοθεσία, hinc Γαλαταρχία, verisimile est tituli scriptorem ea mente res ita disposuisse ut honorum, qui in civem et patronum suum conlati fuerunt, seriem adaugeret, et ludorum, qui dicebantur τοῦ κοινοῦ τῶν Γαλατῶν, semper agonothetam fuisse Galatarcham, ut in Asia Asiacorum ludorum Asiarcham. Alios ludos Ancyræ commemoratos invenimus et in titulis (2), et in nummis (3); dicuntur οἱ ἱεροὶ ἀγῶνες τῶν μεγάλων Ἀσκληπιείων Ἰσθμίων Πυθίων (Ἀσκλήπια σωτήρεια ἴσθμια Πύθια in nummo Caracallæ invenimus). In Saloninæ nummo commemorantur et Actiaci ludi (Ἄκτια). An Galatarcha et Pythios et Actiacos ludos nomine Galatiæ totius ediderit, vel potius hi ludi municipales fuerint, Ancyræ et Tectosagum proprii, omnino incertum.

Galatarcham non διὰ βίου fuisse, sed ad tempus, electum, testantur tituli in quibus inducuntur cives Ancyrani qui bis illo officio functi esse dicuntur (4). Non liquet autem quamdiu vulgo Galatarchæ munus obtinuerint, qui suffragio civium tanto honore dignati erant; forsan, si quinquennales ludi erant qui nomine totius Galatiæ celebrabantur, quinto quoque anno Galatarcha Galatarcham excipiebat. Et ἀρχιερέα Γαλατίας quoque ad tempus

(1) 4016, 4017.
(2) 4016, 4017.
(3) Eckhel, *D. N. V.*, III, p. 178.
(4) 4075, 4076.

tantummodo designatum fuisse hinc manifestum est, quod nunquam cum ejus nomine conjungitur hæc formula : διὰ βίου, quæ contra cum flaminis Augusti (Σεβαστοφάντου) nomine recurrit. Σεβαστοφάντην crediderim municipalem Augusti sacerdotem fuisse, qui urbis nomine Augustis litaret, quum ἀρχιερεὺς Γαλατίας, superiore loco positus, totius gentis communis sacerdos, diversos flamines, qui in omni spectabili provinciæ urbe instituti essent, regeret et dicto suo audientes haberet.

Omnia illa municipalia et provincialia munera, quæ, ut optime potuimus, enumeravimus et ordine suo disposuimus, collecta invenias in titulis T. Flavii Gaiani et Aelii Macedonis, qui uterque in urbe Ancyra omnium honorum, qui intra fines provincialis vitæ et concessæ libertatis geri poterant, cursum videntur esse emensi summa cum laude et admiratione civium suorum (1). Quum suum erga aliquem optimatem gratum animum testari volebat populus Ancyranus, honoribus, quos suffragio suo conferebat, varia præmia addebat, ut prærogativam sedem haberet, ἐν πᾶσι πρῶτος vocatus (2), ut purpurea toga indutus et corona redimitus in publicum procederet, donec vita suppeteret (3), ut imago ejus sub oculis civium poneretur (4). In republica Pes-

(1) 4016, 4017, 4031.
(2) 4016, 4017.
(3) 4025.
(4) 4032.

sinuntiorum, apud Tolistobogos, ut eosdem magistratus esse atque Ancyræ, ita civibus de populo bene meritis eadem præmia proponi testis est titulus in Theodoti Tyranni honorem positus (1).

Ita, secundo et tertio post Christum sæculo, constitutam fuisse Galatiam, provincialium ambitioni et industriæ, ne aliquid cupere desinerent et animos eorum inertia hebetaret, talem honorum seriem promissam esse, hæc præmia ad manum fuisse, hoc velut in orbe, ita laxo et in latum patenti ut se Romano imperio adstrictos vix sentirent, provinciales vitam agitavisse ostendunt tituli qui, Ancyræ præsertim, complures ad nos pervenerunt et fere omnes ad secundum aut tertium sæculum pertinent. Jam autem, Antoninorum ætate, sæpe fiebat ut vir fortis et strenuus, se, qualicumque modo, e provincialium turba exsereret, ut, alicui imperatorum per res egregie alicubi gestas commendatus, civitate Romana donaretur, et equestribus muneribus fungeretur, filium linquens et nepotes qui viam inceptam sequerentur, et aliquando ad summos honores, præturam et consulatum pervenirent. In titulis Ancyranis non semel commemoratur Ti. Severus quidam, qui sub Antonino imperatore consul fuit et Syriam, Achaiam, Asiam, Bithyniam, Germaniam inferiorem administravit (2). Galatia oriundus, e veteri

(1) 4085.
(2) 4033, 4034.

tetrarcharum domo, videtur (βασιλέων καὶ τετραρχῶν ἀπόγονος), ita ut vita ejus in duas partes divisa sit, primo juventutis tempore honoribus, quos sui in eum contulerant populares, innotuerit (1), mox ab Hadriano inter tribunicios receptus sit et ex illo tempore eumdem cursum tenuerit ac senatoriæ domus juvenis (2).

Postquam jam adumbravimus statum et vitam provinciæ, qualis fere sine mutatione cujus admoneamur, tribus fere sæculis mansit, nihil reliquum est nisi ut breviter attingamus ea quæ, apud scriptores aut in titulis dispersa, deperditorum longinquæ provinciæ annalium unam et alteram paginam, forte fortuna superstitem, repræsentant.

Vidimus, quum Parthici et Armeniaci belli, a Corbulone in his finibus gesti, meminimus, auxilia fuisse non semel in vasta regione, quæ tunc erat sub Galatiæ legato, collecta, et legiones in provincia hiemasse. Postquam Cappadocia consularem legatum a Vespasiano accepit, et, post Trajanum, aliquando cum Galatia conjungi desiit, exercitus, qui observabat Parthos et Armenos, Cappadociæ, quæ hosti

(1) 4033, v. 5, 6 : Μετὰ πάσας τὰς ἐν τῷ ἔθνει φιλοτιμίας aliter intelligi vix potest.

(2) Videtur Severus ille non diversus esse ab eo quem Asiæ proconsulem laudat Ælius Aristides, a. 169, et quem Phrygia oriundum esse narrat. Galatiam enim antiquæ Phrygiæ magnam partem complecti vidimus, et, qualem esse Aristidem experti sumus, vetus et tot fabulis celebratum Phrygiæ nomen recentiori huic Galatiæ nomini anteponere debuit.

vicinior erat et legatum habebat dignitate superiorem, assignatus est. Interdum tamen aut legionem, aut cohortes aliquas hujus aut illius legionis in Galatia per aliquot annos stetisse et verisimile est, et nummi indicant; sic ad legionem illam XII *Fulminatam*, quæ inde ab Augusto usque ad Constantinum Orientalem imperii finem tuita est, in Galatico nummo, Antonini Pii tempore signato, si Sestinio credimus, alluditur (1).

Quamcumque ob causam in Galatiam diverterit Legio XII Fulminata, quam, Neronis tempore, Antiocheni, Hadriano imperante, Cæsarei nummi nobis nunc in Syria, nunc in Cappadocia fuisse declarant (2), certum est non contra provinciales, ut imminenti rebellioni obviam iretur, accitam fuisse legionem, quum et Flaviorum et Antoninorum tempore prosperrima et quietissima fuisse videatur Galatia. Nec tantum Romanæ pacis beneficio in ipsa Galatiæ Galatæ securi fruebantur; sed, ut titulis docemur nuper in Dacia collectis, provinciæ fines excedebant, et in novas provincias, in regiones quas barbaris eripiebat Trajanus, colonos et negotiatores mittebant. Supererat nempe illorum animis ingenitum aliquid ex illa inquieta audacia, ex illo amore peregrinandi et liberius per orbem terrarum evagandi qui proavos illorum usque

(1) Sestini, *Lettere*, VI, p. 71.
(2) Sestini, VI. p. 72. Mionnet, V, p. 193, n. 151.

in Asiam adduxerat. In Dacia coloniam Galatarum fuisse testantur tituli quos jam afferemus. Qui optime servatus est et res dilucidissime exponit, inventus est in Transylvania, ad vicum *Gyogy,* in dextra ripa Mari fluminis, loco ubi fuisse creditur statio *Ad aquas* tabulæ Peutingerianæ.

Herculi || invicto || pr. inpera || toris col. || Galatarum || L. Levin*i*us Ma || rce*l*linus || l. d. d. d. (1).

In nota *pr.* hæret Henzenius, incertus an legendum sit P*ro* R*editu*, an PR || opugnatori, an PR*otectori*. Versu 4 aliud restitui atque *col*(*legium*) non potest. Hujus collegii mentionem fieri in alio mutilo titulo, qui ad eamdem Daciæ partem pertinet, nos certiores facit mentio Jovis Taviani, a qua orditur titulus, ipse in urbe Transylvaniæ, *Klausenburg*, inventus :

I. O. M. || Taviano || pro salute || imp. Anto || nini et M. Aureli Caes. || ....ae con || sistentes || municipi po (2).

Quum Jupiter Tavianus Galatis idem sit ac Syriis Jupiter Heliopolitanus, peculiare quoddam et quasi gentile numen (3), quum verbum *consistere* de mi-

(1) Henzen, 7202, et *Bull. Inst. arch.*, 1848, p. 152.

(2) Henzen, *Bull. Inst. arch.*, 1848, p. 131, et Orelli, n. 1285, cum emendatione Henzenii ex apographo Neigebaueri (t. III, p. 129).

(3) Et Albæ Juliæ, in Dacia, inventus est lapis, in quo pro imperatoris salute Jovi Taviano vota nuncupantur. Orelli, 1284. Sed quum vir, qui lapidem posuit, *subprocurator* sit, poterat ab officii sui necessitate in Daciam deduci ; non igitur hunc titulum attulimus inter illos quibus demonstratur Galatarum numerum in Dacia consedisse.

litibus non usitatum sit, potuerat jamdudum id, quod apud Orellium legitur, pro suspecto haberi; sic enim ediderat titulum: « i. o. m. Traiano ...... milites consistentes, etc. » Sed quum Neigebauer secundo versu *Taviano* et quinto *...ae consistentes* legi testetur, jam minime dubium cuiquam videbitur quin *Galat]ae consistentes* restitui debeat. Et in alia Daciæ parte, in ipsa Sarmizegethusa, quæ caput erat provinciæ, invenimus hominem Tavii natum, qui sacerdotio et magistratu Sarmizegethuzæ fungitur.

Q. Vianiario Q. f. || Collina Rufo || Tavio flamini || qq. prim. proc. imp. || ordo col. Ulp. || Trai. || Dacic. Sarmizeg. (1).

Q. Vianiarius nequaquam videtur stipendia meruisse, et municipalia tantum ac civilia officia præ se in titulo gerit. Cæteroquin non licitum est militibus collegia instituere, quum contra negotiatores et homines id genus, qui inter peregrinos, procul a patria, consedissent, se libenter cum popularibus suis arcto collegii vinculo conjungerent, ita ut alius alium adjuvaret, omnesque simul, communi sumptu, civibus suis opitularentur, patrios ritus colerent, patria numina inter alienigenas adorarent (2).

(1) Henzen, *Bull. Inst. arch.*, 1848, p. 129.

(2) Habemus in titulis « Berytenses qui Puteolis consistunt » (Orelli, 1246). « Condeates et Arecarii Lugduni consistentes » (ibid., 6950). Eodem sensu, in Græcis titulis, usurpatur vocabulum οἶκος. V. *Exploration archéologique de la Galatie*, p. 67, n. 1. *Consistere* proprie de omni

Quale vitæ genus haberent, quibus negotiis dediti essent Galatæ qui tunc temporis, secundo scilicet sæculo, in Dacia degebant, nondum liquet. Ex mentione Taviani Jovis in his titulis conjicimus Tavium, quod ante Augusti tempora non nominatur a scriptoribus, quod primo sæculo semel tantum, apud Strabonem, memoratur (1), postquam Galatia in provinciæ formam redacta esset, adolevisse et crevisse. Quidquid id sit, certum est Tavium nunquam ad Pessinuntis et præsertim Ancyræ celebritatem, opulentiam, humanitatem accessisse. Rariores sunt quam Pessinuntii et Ancyrani Tavianorum nomine signati nummi, et series eorum, qui in manus recentiorum venerunt, a M. Aurelio incipit nec post Elagabalum continuatur. Quoscumque inter rudera Tavii, ad vicum *Ioquari Nefez-keui,* titulos legimus, ii Christianæ ætatis erant; quicumque nobis nummi allati sunt, Constantino posteriores inventi sunt; quæcumque veterum ædificiorum fragmenta, columnas, epistylia, capitula aliaque id genus, in collibus, ubi antiqua urbs opportunissimo loco assurgebat, jacentia conspeximus, parum docti et subtilis artificis manum produnt, et deterioris ætatis corruptum judicium arguunt. Testis est Strabo Augusti jam ætate colossum Jovis

collegio dicitur, quod innumeris exemplis demonstratum est (Orelli, 1233, 2773, 7256, 6302, 5117, 4085, 7260, 5216, 4077, 7254, 6991, etc.).

(1) XII, 5, 2.

aeneum, in solio, qualem eum Taviani nobis nummi exhibent, sedentis, jam ædificatum esse, et satis late sparsam fuisse famam et statuæ illius et asyli, quod velut sub tutela Jovis collocatum omnibus pateret. Quemcumque postea sumptum in instruendo et ornando templo fecerint Taviani, pietate undique concurrentium et numen adorantium ditati, ex reliquiis, quas perlustravimus et attente oculis emensi sumus, manifestum est nec cum Pessinuntiis templis, nec cum Ancyranis unquam jure conferri potuisse Taviana ædificia.

De occidentali Galatia, hac ætate, nil fere memoriæ proditum, quum magistratus illi, quorum de officio et dignitate disseruimus, alius alium exciperent, et fruerentur opulentæ urbes pace quam æternam fore, sub imperatorum patrocinio et tutela, omnes conjectabant et sperabant. Videmus tamen, quasi jam minus fideret majestati suæ imperium et sollicitum esset de futuro, Caracallam, ineunte sæculo tertio, mœnia Ancyræ, quæ vetustate dilapsa erant nec quisquam reparaverat dum inutilia omnino viderentur, instauranda suscepisse et eodem tempore Ancyranum populum variis immunitatibus donavisse (1). Hinc illud nomen

(1) Spartian., *Caracalla*, 6. Non cum Heusingero et Kranzio consenserim cum hac Ancyrani muri per Caracallam instauratione titulum connectentium qui legitur in *C. I. Gr.*, 4015. Honoratur hoc titulo vir σύμπαν τὸ τεῖχος ἐν σιτοδείᾳ καὶ βαρβαρικαῖς ἐφόδοις ἐκ θεμελίων εἰς τέλος ἀγαγών, et credunt auctores laudati hic forsan induci magistratum, seu

Ἀντωνεινιανῆς Ἀγκύρας quod in nummis Caracallæ tempore signatis sibi Galatiæ metropolis cœpit indere. Paulo posterius secundi neocoratus honor in Ancyram collatus est; B. N. vel B NE in Ancyranis Valeriani, Gallieni, Saloninæ nummis legimus.

Jure Asiaticarum urbium mœnibus providebant imperatores qui tertio post Christum sæculo regnaverunt; tum enim fines imperii armis hostilibus pervii esse cœperunt, et Gothorum agmina, in Asiam concitato gressu ex variis partibus invadentia, Galatis illum terrorem et illa mala intulerunt, quæ Leonorii et Lutarii milites olim per Græcas urbes sparserant. Simul jam fessam Parthorum dominationem novi Persarum imperii robur exceperat, Syriamque et Ciliciam vastabant Saporis equites, nec diu illos moraturi erant Tauri, jam non una via pervii, interjecti objices. Hac ætate, Valeriano et Gallieno imperantibus, semirutos muros propere et festinanter reparare et instaurare undique cœperunt urbes et vici, στήλας, quibus decora majorum inscripta legebantur, raptim corripientes, paratam materiem qua interrupti aggeris ruinas sarcirent.

legatus sit imperatoris seu civis Ancyranus, cujus ministerio jussum opus confecerit Caracalla. Num autem, ante Caracallam et Antoninorum ætate, incurrerant ultra Halym barbari et provinciam expilaverant urbesque in periculum adduxerant? Et hoc, et quod infra legitur, jam diu senatus, id est decurionum officium interruptum fuisse et decreta omissa (τὴν βουλογραφίαν ἐκ πολλοῦ καταλελειμμένην), hæc omnia multo recentiorem ætatem arguunt, ita ut decretum non ad tertii sæculi initium, sed ad finem ablegare non dubitaverim.

Adde quod, in hac omnium rerum confusione, non externi tantum, sed etiam domestici hostes Tauro circumjacentes Ciliciæ, Cappadociæ, Galatiæ campos vexant et lacerant. Prædonum ista, ut ita dicam, collegia, quæ non sine longo legionum et optimorum ducum labore imperatores eradicaverant ex inviis montibus, quos per tot sæcula velut domicilium habuerant latrones, iterum, pace conturbata et imminuta legatorum auctoritate, coaluere et saltus faucesque Ciliciæ et Isauriæ insedere. Velim legas apud Zosimum (I, 69) ut, Probo imperante, Pamphyliam, Lyciam, Lycaoniam, Isauriensis latro, nomine Lydius, infestaret, qui, Cremna potitus, oppidum natura et arte munitum diu contra justi exercitus arma defendit, nec nisi post longi temporis intervallum per proditionem occisus est. Paucis ante annis, Trebellianum, et ipsum natione Isaurum, Cilices et Isauri Imperatorem et *Archipiratam* renuntiaverant, nec, quanquam Trebellianus brevi a legionibus ex Ægypto advectis fugatus et interfectus fuerit, ex illo tempore unquam bene quieverat Isauria.

Sub Claudio tandem, Aureliano et Probo aliquantisper respirare et reviviscere visum est imperium, ita ut timere desinerent urbes Asiæ civilisque et humanæ vitæ interruptum tenorem resumerent. Ad hos annos libenter retulerim decretum, quod Ancyræ inventum est, quo honoratur vir, cu-

jus periit nomen, ob reparata mœnia et ædificia varia, ob seriem decretorum senatus, quæ jam diu intermissa negligebantur, denuo inceptam et in ordinem digestam (1).

Nec ita tantum Galatæ præteritarum calamitatum vestigia delere conati sunt, sed novum sibi quæstum circa hæc tempora sibi comparavisse Galatas e scriptoribus discimus. Barbarorum, qui undique per fines imperii, prædæ inhiantes, invaserunt, magnam stragem, ut apud omnes constat, et in Europa, et in Asia ediderunt indefessi et invicti duces, Claudius, Aurelianus, Probus, et eorum legati ad imperatorum exemplar compositi. In manus legionum innumeri captivi ex variis gentibus post Claudii, Aureliani et Probi victorias venere; hos emere et toto Oriente vendere cœperunt Galatæ, ita ut tertio et quarto post Christum sæculo totum hoc negotium penes Galatas negotiatores esset. Quum Juliano suaderent proximi, « ut aggrederetur propinquos Gothos sæpe fallaces et perfidos, hostes quærere se meliores aiebat; illis enim sufficere mercatores Galatas, per quos ubique sine conditionis discrimine venumdantur (2). » Melius placeret nobis si alio modo se imperatorum, contra barbaros fortiter depugnantium, conatibus consociassent Galatæ; qui eorum præclara facta et indomitum olim mor-

(1) *C. I. Gr.*, 4015.
(2) Amm. Marcell., XII, 7. Cf. Claudian., *in Eutropium*, I, 59.

tisque contemptorem animum laudavimus, indignamur, quum talis mercaturæ et quæstus mentione eorum historiæ ultimam manum imponimus.

Non enim nobis destinatum est eos ultra sæculum quartum sequi, quum per tot sæcula cum Græcis Romanisque mixti, patriorum morum et institutorum jamdiu obliti, in Græcarum, Asiaticarum, Ægyptiacarum (1) religionum ritus et communionem admissi, novam deinde fidem cum toto Oriente amplexi, nihil jam, ne nomen quidem, servent, et Constantini Porphyrogenetæ tempore in *Buccellariorum* themate comprehendantur. Si Divo Hieronymo credimus, Galatæ, quarto etiam post Christum sæculo, Gallica lingua utebantur. Notissima ejus verba: « Galatas, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem pæne habere quam Treviros, nec referre si aliqua exinde corruperint (2) ». Unus est Hieronymus qui linguam Gallicam in Asia usque ad tempus fere vicinum nostræ ætati, usque ad ipsum medii ævi limen duravisse affirmet. Quod ad me attinet, Hieronymi testimonio, quum unicum sit, et ad ejus auctoritatem infirmandam multa concurrant, fidem adhibere plane recuso. Ex Strabone discimus veteres Asiæ Minoris linguas, Lydiam scilicet et Phry-

(1) In titulo, qui circa finem secundi P. C. sæculi conscriptus est, jam cultores habere et aras Ancyræ Jovem Serapidem videmus. *C. I. Gr.*, 4042.

(2) Hieron, *Prol. Comm. II in Epist. ad Galatas.*

giam, sua jam ætate obsolevisse, ita ut tota hac regione, quæ intra Sangarium et mare erat, nihil nisi Græce loquerentur (1). Quum Græcus sermo linguas, quibus tamen loqui solebat plebs urbica et pagana, semper antiqui sermonis tenacissima, nihilominus circa initium primi post Christum sæculi omnino ex usu expulerit, difficile credemus septem sæcula in Asia duravisse linguam quam loquerentur pauca millia hominum, qui tum in Asia consedissent quum Græcus sermo ubique dominari cœpisset, quique summo studio ad exemplar Græcorum primo, mox Romanorum, ritus, mores et vitam suam componere visi sunt. Apud Galatas non habemus rusticam plebem, solo adfixam, quæ, ut vulgo fit, postquam urbium incolæ et proceres vernaculam linguam jam diu dedidicerunt, illam constantissime per multos adhuc annos servet ac tueatur; nisi fallimur, post subactam a Leonorii et Lutarii commilitonibus regionem quæ Galatia deinceps ex iis dicta est, maxima pars colonorum, qui in hoc tractu solum arabant et pecudes pascebant, Phrygio et Cappadocico sanguine oriunda erat. Quod ad victores novosque harum provinciarum dominos attinet, mercenarios milites et per Asiam, Syriam, Græciam, Ægyptum sine fine hinc et illinc excurrentes, genus vitæ cui consueverant non hoc erat quod eos patriæ

(1) Strabo, XII, 4, 17.

linguæ tenaces efficeret. Vidimus Tiberii tempore Gallica hominum nomina ex usu excidere, quum fere jam veteribus rerum nominibus obsoletis, hominum nomina linguæ ex consuetudine jam diu evanidæ et abolitæ superesse soleant; vidimus, in titulis secundi p. Chr. sæculi, vix unum nomen comparere cui Gallica origo, et ea quidem non sine dubitatione, assignari queat. Adde Hieronymum Galatiam non ipsum invisisse ut videtur, sed rem ex auditu memorare, et quum rei, quæ parum per se verisimilis est, nullum alium testem habeamus, videbimur, ut spero equidem, non a criticæ artis norma aberrare, si testimonio ejus omnem fidem in præsens derogamus. Potuit hæc Hieronymus, qui philologiæ, ut nos dicimus, satis rudis esset, et multa, quæ hodie explosa sunt et erroris convicta, facile admisit, rem hausisse ex antiquiore libro, et, quod Strabonis tempore verum erat, in suam ætatem, quum lingua Gallica jam diu obsolevisset, transferre.

Omnium locorum, omnium Galatiæ urbium et vicorum, quorum mentio ad nos pervenit, sive apud scriptores, sive in Itinerariis et titulis servatum, nomina recensere et in situm singulorum inquirere nobis in animo destinatum erat; priusquam autem huic dissertatiunculæ finem imponeremus, in nostras manus venit opus jam supra laudatum : *Histoire des Gaulois d'Orient.* Quum in calce libri tota

hæc de provinciæ Galatiæ urbibus et vicis disquisitio ita habita sit ut nihil plenius et melius desiderari possit, rem actam agere noluimus, et operis propositi partem hanc omisimus. Satis nobis sit, si de limitibus provinciæ Galatiæ, qualis ab Augusto usque ad Theodosium fuit, si de serie ac dignitate legatorum ac de toto administrationis genere, si de conditione provincialium et eorum magistratibus et sacerdotiis aut novum aliquid attulimus, aut res ab aliis allatas partim emendavimus, partim in meliorem ordinem digessimus

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, id. octobr.
ann. M DCCC LXVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

N. B. — Majusculis scripta sunt nomina legatorum Galatiæ.